SYNODUS

MELEVITANA.





SYNODVS MELEVITANA PRIMA.

PER

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. FR.


D. MICHAELEM HIERONYMVM DE MOLINA

EPISCOPVM MELEVITANVM
Abbatem de Alcolea, & Regium Consiliarium.

In Melitensi Cathedrali celebrata Dominica Tertia post Pentecostem, & die sequenti, videlicet xxx. Iunij, & 1. Iulij 1680.



ROMAE,
Ex Typographia Angeli Bernabò. M.DC.LXXXI.
SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO


FR. D. MICHAELI

HIERONYMO DE MOLINA

EPISCOPO MELITENSI, ETC.

Patrono suo Colendissimo

DOMINICVS DE BENEDICTIS.





RODIT, ecce, in lucem Synodalium Decretorum Liber, eximium ingenij, & prudentiæ tuæ opus, Illustriss. & Reuerendiss. Domine; in Vrbe lectus, laudatus, approbatus. In eo sanè, tanquam in speculo, zelus feruet salutis animarum, elucet prudentia, pastoralis splendet solicitudo. Aiunt, iterum, cum Luca, & Sociis, Paulum accensa pyra refici in Insula Melitensi, & veluti à Publio Principe

benignè rursus excipi ; cum quisque, Præsul Amplissime, videat, Ecclesiã, ab Illo in Fidei primordiis fundatam, nouo semper tuæ Charitatis ardore succendi, & in dies eximiæ probitatis exemplis foueri. Quod autem ad me attinet, vt pluribus Tibi nominibus, hoc verò maximè me fateor adstrictum quòd ad hoc bonum Episcopi opus excudendum me perhumaniter destinare volueris: vnde contigit, vt, maxima cum animi mei voluptate, non vulgaris existimationis, quam de tua pietate, ac virtute Vrbs tota concepit, testis adfuerim. Cæterùm, vt plures per annos faustè, ac feliciter commisso Tibi Gregi præsideas, æternùm mihi erit in votis. Vale. Romæ 4. Idus Iulii MDCLXXXI.

Ex


EX Commissione Reuerendiss. P. Raymundi Capisucci Magistri S. Pal. Apostolici, perlegi Synodum Melitensem; nihilque in ea, quod Fidei, aut Sacris Canonibus non cohæreat, comperi: quin potiùs Illustriss. & Reuerendiss. eius Author salubrium Ordinationum fluentis, candidæ, & sinceræ Crucis Lignum in Terra deserta, & inuia, imò in Petra salsi maris æstibus verberata; nequicquam obstantibus puteorum effossionibus, quas faciunt Ismaëlitæ; virere facit, & germinare, sicut Lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Adeoq; vt in lucem prodeat, æqui, bonique existimo. Romæ 5. Kalendas Aprilis 1681.

Laurentius Bulbul Clericus Regularis Minor Sac. Congreg. Indicis Consultor.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.



I. de Ang. Archiep. Vrbin. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Sac. Pal. Apoſt. Magiſter Ord. Prædicatorum.

INDEX

INDEX
CAPITVM.



PARS PRIMA.

De Fide Catholica, & ad eam pertinentibus.

PARS

INDEX

PARS SECVNDA.

De Sacramentis, seù de pertinentibus ad eorum vsum, frequentationem, & ministrationem.

PARS TERTIA.

De Cultu Diuino.

PARS

INDEX.

PARS QVARTA.

De Ecclesiasticis Personis, earumque varijs Officijs, & obligationibus.

IN

IN APPENDICE.

In

FR. MICHAEL HIERONYMVS
DE MOLINA

Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Meleuitanus Abbas, de Alcolea, & Catholicæ Maiestatis Regius Consiliarius.

Vniuerso suæ Diœcesis Clero sempiternam in Domino felicitatem.



OSTRI demandati gregis oues vt sub suaui Christianæ Religionis iugo felicioribus in dies proficiant incrementis, & vt, Ezechielis Prophetæ voce diuina admoniti, *quod perijt requiramus, quod abiectum est reducamus, quod confractum est alligemus, quod infirmum est consolidemus, quod pingue, & forte custodiamus*, peracta à Nobis vniuersæ Diœcesis visitatione, præmissisque in omnibus Parochialibus Ecclesijs, nostræ curæ subiectis, sacris missionibus, in quibus verbi Dei prædicatione, ac Sacramentorum frequentia deperditas oues ad caulam Domini reducere curauimus, ad sacroru m Canonum, Summorumque Pontificum, & Concilij Tridentini præscriptum, hanc primam Diœ- *Ezechiel c. 34.*

ceſanam Synodum congregare duximus; & in ea quæ ad diuinum cultum amplificandum, Eccleſiaſticam diſciplinam conſeruandam, & augendam, quæ ad ſacros Ordines, aliaquè Religionis Officia ritè obeunda, quæ ad mores componendos, vitiaquè radicitùs euellenda, quæ deniquè ad ſalutem animarum, quas immenſo ſui Sanguinis pretio Chriſtus Dominus redemit, Vobis, quorum exemplo cæteri vitam, moreſque componere debent, propoſuimus. Vos igitur, Genus electum, obſecramus in Domino, *quæcunquè ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, hæc ſectemini*; vt ſicuti ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius vos conſtituit Dominus, ità veſtris doctrinæ lumine, & charitatis ardore, vitiorum diſſipata caligine, fideles à mortis faucibus reuocentur ad æuum æternæ felicitatis; & has Synodales Conſtitutiones accipite, & quæ pro noſtrarum virium tenuitate ſanciuimus, non imbecillitatem noſtram attendentes, ſed tanquam Eccleſiæ documenta conſiderantes, debitæ executioni demandate, vt *ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes; ac in omni opere bono fructificantes immarceſcibilem coronam gloriæ percipere poſſitis.*

Ad Philipp. 4.v.8.

Epiſt. Iacobi 1.v.1.

Ad Coloſ. 1. v.10.

In

In Nomine Sanctæ , & Indiuiduæ Trinitatis , Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

DECRETORVM SYNODALIVM

DIOECESIS MELEVITANAE.

PARS PRIMA.

DE FIDE CATHOLICA, Et ad eam pertinentibus.

CAPVT PRIMVM.

De Fidei Orthodoxæ Professione.

1. 

VM Fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vt docuit Apoſtolus huius noſtræ Dioeceſis Patronus, & Pater, lumen ſit animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ, cunctarum mater virtutum, & radix bonorum omnium; Idcircò antiquiſſima Sacrorum Conciliorum comprobata conſuetudine adducti, confortati in Domino, & in potentia

Ad Hebr. cap.11.

Chriſoſt. in illud Symboli Credo in Deum.

Ad Eph.6.

virtutis eius, placuit ab eiusdem Fidei professione nostrarum Synodalium Constitutionum initium sumere. Hoc enim scuto armati, omnia tela nequissimi ignea extinguere, & lumen veritatis ijs, qui in tenebris sedent, ostendere confidimus.

Luc.c.1.

2. Præcipimus igitur, dispositioni S. Concil. Trid. & Constitutioni Pij Papæ IV. inhærentes, vt omnes, & singuli Ecclesiastica Beneficia obtinentes, quique ad hanc Dioecesanam Synodum accedere tenentur, Fidei professionem coram Nobis, si hactenùs non fecerint, emittant.

Sess.25.c.2 de refor. Constit. Pij IV. Iniunctum. Idib. Nou.1654.

3. Eamdē Fidei professionem prouisi de Beneficijs curam animarum habentibus, coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, infra duos menses à die adeptæ possessionis emittant, & adepti Beneficij titulum ostendant. Prouisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesia nostra Cathedrali, non modò coram Nobis, vel Vicario nostro Generali, sed etiam in Capitulo, infra idem tempus duorum mensium, idem præstent; Alioquin prædicti omnes Prouisi sciant se fructus suos non facere, nec illis pacificam possessionem suffragari iuxtà Concil. Trid. & eiusdem Pij Papæ IV. sanctiones.

Sess. 24. c. 12. de reform.

4. Concionatores similiter tàm Seculares, quàm Regulares, Ludi Magistri, Præceptores, omnesque alij, qui publicè, vel priuatim quascunque artes, seu facultates, etiam prima Grammaticę

Ex Const. 88. Pij IV. In Sacrosancta.

maticæ rudimenta docent, Medicinam quoque; & Chirurgiæ artem profitentes, ad propria obeunda munera, non nisi præuia eiusdem Orthodoxæ Fidei professione admittantur; propterea Hæbrei, aut Infideles ad medendum non vocentur, sub pœna denegationis Sacramentorum, & priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ ex Constitut. Greg. XIV. *Greg. XIV. Ann. 1591.*

5. Ne vnquam verò super præmissis dubitari possit, profitentium nomina, & cognomina, beneficia, eorumque titulos, dignitates, munia, & exercitia, vnà cum die, mense, & anno, in distincto libro, quem in Archiuio nostro conseruari volumus, per Cancellarium nostrum referantur.

6. Formula autem professionis Fidei iuxta eiusdem Pij Papæ IV. Constitut. huiusmodi est.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quę continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium: Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines,

mines, & propter nostram salutem descendit de Coelis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato; passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxtà eum sensum, quē tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis,

neces-

neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omniũ Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia & ſingula, quæ de Peccato originali, & de Iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, vnà cum Anima, et Diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, et totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi: Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: Similiter & Sanctos, vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias

eſſe

esse venerandas. Firmissimè assero Imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Succesfori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque Hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum,

Ego

Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAPVT II.

De Catholica Fide ab omni errore, erroriſque ſuſpicione illibata conſeruanda.

1. VT Catholica Fides, quam hæc noſtra Meleuitana Eccleſia receptam, inter tot perſecutionum turbines, ac Saracenorum irruptiones, ab omni nube perfidiæ, & hæreticæ prauitatis illibatam, ſpeciali Dei beneficio, cuſtodiuit, ſine ruga, & ſine macula in ſua puritate conſeruetur, & à grege Domini Nobis credito nedùm pernicioſa erroris lues, ſed eius quoque ſuſpicio procul arceatur; ideò curam animarum habentes omnia, & ſingula, quæ in Edicto Sancti Officij promulgari ſolito continentur, à ſuis populis ſedulò obſeruari curent.

2. Prætereà ſollicitè mandamus ſub pœnis à Iure ſtatutis, vt Nobis, aut ſanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunali denuncient omnes Hæreticos, Schiſmaticos, aut quouis modo de hæreſi ſuſpectos, Magos, Strigas, Veneficos, Augures, Sortilegos, alioſque damnatis artibus incumbentes, ſimilitèr Sacramentis, & Sacramentalibus rebus, aut verbis Sacris impiè abutentes,

necnon signis, nodis, aut characteribus præsertìm ignotis, vel ad morbos, vel ad rerum amissarum scientiam, vel ad quemcumque alium, etiam licitum, & honestum finem vtentes, aliaque huiusmodi, quæ expressum, vel tacitum cum Dœmone pactum contineant, superstitiosè exercentes; vt hi omnes, iuxtà huiusmodi nefarij criminis grauitatem, & præcipuè ad formam Constitutionis Sixti V. contrà ipsos editæ, seuerè puniri possint, ne tantum malum ouile Christi inficiat.

Const. 17. Cœli, & Terræ.

3. Nefarium, & execrabile blasphemiæ scelus diuinis semper, & humanis legibus æquè damnatum, imò, & turpissimæ mortis pœna, in veteri Testamento punitum, quod præ sceleribus omnibus diuinæ iracundiæ flagella prouocat, è nostra Diœcesi penitùs euellere cupientes, enixè præcipimus Parochis omnibus, vt sæpissimè inter Missarum solemnia huius criminis grauitatem, & pœnas à Sacris Canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus statutas, suis populis denuncient: idem præstent Confessarij omnes, si quem inter audiendas Confessiones in huiusmodi peccatum lapsum repererint.

Leuit. 14.

C A-

CAPVT III.

De Catholica Verbi Dei prædicatione.

1. CVM sermo Diuinus, non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & Virtutis consistere debeat, vt fructum afferat; Idcircò Concionatores omnes, tàm Seculares, quàm Regulares, in Domino hortamur, vt in omnibus se exhibeant tanquàm Christi Domini Ministros, & dispensatores Mysteriorum Dei, & non solum verbo, sed, quod efficacius est, exemplo populis prædicent.

1. ad Cor. cap. 2.

2. ad Cor. cap. 4.

2. Euangelicam Doctrinam, Sacram Scripturam iuxtà Catholicæ Ecclesiæ sensum, & Sanctorum Patrum consensum exponant, ac proferant; Questionum subtilitatem, quæ potiùs ad ingenij ostentationem, quàm ad animarum præsidia conferunt, euitare studeant: A fabulosis, inutilibus, ac iocosis quæstionibus, & sermonibus abstineant, sicut & ab apocriphis historijs, ac miraculorum non approbatorum narratione, peccatores cum charitate redarguant, in nullum personarum statum tacitè, vel expressè inuehantur, sed in vitiorum repræhensio-

ne, ac eradicatione desudantes, à personarum offensione penitùs caueant.

3. Indulgentias sine nostra, aut nostri Vicarij Generalis licentia, populo non euulgent, minusque alicuius particularis indigentiam, sine saltem Ecclesiarum Rectorum consensu, proponant.

Trid. sess. 24. cap. 4. de reform.

4. Parochi omnes, quibus hoc prædicandi munus peculiariùs incumbit, per se ipsos, vel si legitimè impediti fuerint, per alios Sacerdotes idoneos, singulis saltem diebus Dominicis, festisque solemnibus, sæpiùs verò tempore Quadragesimæ, & Aduentus Domini, præsertim vbi Concionatores non adfuerint, spiritualibus Verbis proprias oues pascant, sacrisque colloquijs quæ ad salutem sunt necessaria doceant, necnon vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, cum breuitate, & facilitate sermonis annuncient, grauibus poenis arbitrio nostro plectendi, si in eiusmodi Apostolicæ prædicationis munere aliquo pacto defecerint.

Triden. loc. cit.

5. Cœteri verò siue Seculares, siue Regulares, qui animarum curam non habent, absque licentia à Nobis impetrata, etiam prætextu cuiuscuis priuilegij, prædicare nequeant, nec ipsi quoque Regulares in proprijs Ecclesijs, nisi obtenta priùs ab eorum Superioribus permissione, & petita à Nobis benedictione, sub poenis à Sacris Canoni-

nonibus, & Constitutionibus Apostolicis statutis, & specialitèr à Constitutione Gregor. XV. quam latè declarauit Clemens X. in Constit. quæ incipit *Superna*.

6. Abstineant in Concionibus se ipsos eleemosynæ causa commendare, aut in audiendis Confessionibus pecuniam, vel dona petere.

7. Conciones omnes diurno tempore habeantur, præterquàm feria quinta maioris hebdomadæ, quo die de nocte pro maiori populi commoditate fieri permittimus, quo tamen tempore tot lumina sint accensa, vt omnis scandalorum occasio euitetur, & in ipsa hora Concionis omnes, etiam artifices, operarij, & manuales, à seruilibus operibus vacare, & ad Verbum Dei audiendum accedere curent.

CAPVT IV.

De Doctrina Christiana.

1. NE paruuli sint in Fide fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, sed sacris Christianæ disciplinæ rudimentis imbuti, salubri veluti lacte educati, pietate simul, ac religione adolescant; Ideo ad præscriptum Sac. Concil. Trident. omnibus Parochis, alijsque curam animarum haben- *Ad Ephes. cap. 4.* *Sess. 24. de refor. cap. 4.*

habentibus, præcipimus, & mandamus, vt saltèm diebus Dominicis, alijsque festiuis de præcepto, pueros in suis Parochijs Fidei rudimenta, cultum ergà Deum, reuerentiam ergà Parentes, & Christianam morum honestatem per se, vel per alios à Nobis approbandos, diligenter edoceant.

2. Cum reperiri possint non solum paruuli vtriusque sexus, sed etiam viri, & fœminæ ætate maiores, qui Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, decem Præcepta Decalogi, aliaque ad Fidem pertinentia non adhùc rectè sciant, debeant Parochi sæpiùs populo denunciare, vt distinctè supradicta capita ediscant, illosque monere, nisi ea distinctè recitauerint, à Sacramentis, tanquam indignos, arcendos fore. Vt autem à rudioribus faciliùs addiscantur, diebus festis inter Missarum celebrationem, seù post Vesperas, aliouè opportuno tempore, quo frequentior populus ad Ecclesiam conuenit, alta voce, eodem populo repetente, dicta capita recitare studeant. Si quis verò ex Parochis, tantæ obligationis immemor, statutis diebus hæc edocere neglexerit, seuerè à Nobis nedùm mulcta pecuniaria pijs vsibus applicanda (quod semper seruabitur quandocumque poena pecuniaria insligetur) sed etiam suspensione à Diuinis punietur.

Magi-

3. Magiſtri Scholarum, ſaltèm ſemèl in hebdomada, de omnibus ad Chriſtianam doctrinam ſpectantibus pueros erudire non prætermittant.

4. Confeſſarij tàm Seculares, quàm Regulares antequàm pœnitentes (quos rudiores eſſe animaduertunt, nec illorum notitiam habent) in Sacris Confeſſionibus audiant, de Myſterijs Fidei diligentèr interrogent, ignaroſquè repertos opportunis remedijs prouideant, vt de his eruditi ad Confeſſiones reuertantur.

5. Præterea Parochi frequentèr publicè, & priuatìm admoneant Parentes, Patrinos, Propinquos, Tutores, Curatores, & quoſcunque alios, quibus puerorum cura commiſſa eſt, vt eos omni ſtudio, ac diligentia Chriſtianam Doctrinam edoceant, & pro addiſcendis Fidei rudimentis ad Eccleſias ſtatutis diebus mittant; nec non conſimilem Dominorum ergà famulos obligationem inculcent, grauiſſimam de tali culpa rationem Deo reddituri.

6. Nemo ad ſuſcipiendum de Sacro Fonte, Matrimonium contrahendum, aut ad aliorum Sacramentorum participationem admittatur, qui ſaluberrima Chriſtianæ Doctrinæ rudimenta ignoret.

7. Vt autem ad Chriſtianam Doctrinam ediſcendam Chriſti fideles faciliùs excitentur, &

B. Pius V. Const. 137. ex debito Gregor. 13. Const. quæ incipit vniuersis 30. Octo. 1572 Paulus V. Constit. 36. ex credito.

tàm præcipuum Charitatis opus ardentiùs eorum cordibus inseratur, Parochi omnes summarium Indulgentiarum, quæ in hanc causam à Summis Pontificibus concessæ reperiuntur, saltèm semèl in anno pòpulo promulgent, & Sodalitatem Doctrinæ Christianæ instituere curent.

CAPVT V.

De Reliquijs, Sacris Imaginibus, Veneratione Sanctorum, & Miraculis.

1. INNVMERABILIA, quæ à Deo per intercessionem Sanctorum quotidiè Fidelibus conferuntur beneficia, ac eorum merita, quibus vniuersus refulget Orbis, & militans condecoratur Ecclesia, exigunt, vt quorum opem nostris necessitatibus religiosè imploramus, eorum sacra Ossa, Reliquias, & Imagines maximo decore, magnoquè Religionis cultu veneremur. Vt debitus tamen in earum adoratione exhibeatur honos, & omnis superstitionis suspicio tollatur, hæc seruanda statuimus.

Trid. sess. 25 de inuocat. vener. & Reliqu. Sanctor.

2. Nouæ, & incertæ Reliquiæ non recipiantur, nec populo adorandæ exhibeantur, aut prædicentur, nisi priùs à Nobis facta recognitione & approbatione; Si quæ verò ignotæ, dubiæue

fidei

fidei, legitimis quippè documentis carentes ſint, in loco honeſto ſemper clauſæ conſeruentur; Quæ verò ab antiquo continuata populorum venera- tione, ac Prædeceſſorum noſtrorum iudicio, & in noſtra Viſitatione approbatæ exiſtunt, eadem veneratione habeantur, qua hactenùs habitæ fue- runt, non vbilibet, ſed in armarijs decentèr or- natis, & honorabilibus thecis reconditæ, vel in Eccleſia ipſa, vel in Sacriſtia fixo in loco, vna ſaltèm claui occluſæ, conſeruentur.

3. Ex armarijs, thecis, & vaſculis nemo abſque noſtra licentia Sacras Reliquias, aut ea- rum partem aliquam extrahere, ſeù ſibi attri- buere, ſeù alijs donare irreligioſo conatu audeat, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incur- rendæ, alijſque arbitrio noſtro ſeuerè, & irremiſ- ſibilitèr irrogandis.

4. In Eccleſia, in qua conditæ ſunt Reliquiæ Inſignes, vt eſt Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut alia pars, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parua, & legitimè approbata, diem feſtum, & Officium duplex illius Sancti, cuius eſt Reliquia, celebrari poteſt. *Sac. Rituum Congreg. 8. Apr. 1628.*

5. Non exponantur Sacræ Reliquiæ niſi à Sacerdote, ſeù alio Sacris Ordinibus initiato, ſu- perpellicio, & ſtola induto, duobus ſaltèm ce- reis collucentibus, non paſsìm, ſed ſtatutis, ac ſolitis anni feſtiuitatibus, aut grauis neceſſitatis

causa, præmissis thurificatione, & consuetis orationibus. Ab Ecclesia ad Infirmos absque nostra licentia non deferantur.

6. Vt sacris Sanctorum Imaginibus pius à fidelibus exhibeatur cultus, & veneratio, nihil in ijs lasciuum, inordinatum, profanum, & inhonestum appareat, extrà morem non effigientur, pingantur, formentur, aut ornentur, nec insolitæ in Ecclesijs exponantur, nostra non præcedente recognitione: Habitu peculiari alicuius Ordinis regularis minimè vestiantur, sed eo habitu, & forma, prout in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuetum fuit.

Conc. Trid. loc. cit. Vrban. 8. Constit. quæ incipit Sacrosancta Trid. 25. Maij 1645.

7. Imagines, & Simulacra illorum, qui licèt cum sanctitatis, & martyrij fama decesserint, cum laureolis, radijs, seu splendoribus non pingantur, nec formentur, antequam canonizati, aut Beatorum Catalogo adscripti ab Apostolica Sede non fuerint.

8. Strictè monemus Pictores, & Sculptores, ne ex industria in Sanctorum Imaginibus, & Statuis effigies viuentium, aut mortuorum exprimant, neque alias efforment figuras, quæ ad sacram non attinent historiam, sub pœna excommunicationis, alijsque arbitrio nostro irrogandis.

9. Cruces, Sanctorumque Imagines pro Eccle-

Ecclesiarum vsu non exponantur, nisi priùs consuetis precibus benedictæ fuerint.

10. Noua miracula, seu reuelationes non adhuc à Sancta Sede approbatæ, non prædicentur; qui enim temerariè falsa miracula prædicare præsumpserit, vltrà diuinam indignationem, & alias poenas à Nobis infligendas, Papali excommunicationi subijcitur ex Constitutione Leonis X.

Trid. loco cit.

Leo X. Bul. 21. incipit Supernæ Maiest.

11. Nemo, cuiuscunque status, gradus, & conditionis existat, audeat per se, vel per alios inquirere, seu informationes capere super alicuius defuncti sanctitate, & miraculis, & testes desuper examinare, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones, quantumuis sub fama sanctitatis ex hac vita migrauerit, sub poenis arbitrio Sacræ Congregationis Rituum.

CAPVT VI.

De Denunciatione Vigiliarum, Festorum, eorumque obseruantia.

1. CVM dies festos (quibus nos memoriam Mysteriorum Redemptionis nostræ, victoriarumque illorum, qui triumphato Mundo cum Christo regnant, recolentes, diuinæ

Bonitati gratias, & laudes, Sanctisque debitum honorem tribuere debemus) deprauata hominum cupiditate, seruilibus operibus, non sine animi dolore, violari videamus; vt tanto malo, quantùm in Nobis erit, opportunè occurramus, enixè præcipimus, vt Parochi omnes debeant populo denunciare Vigilias, in quibus ea hebdomada ex præcepto Ecclesiæ ieiunare tenentur, & secundum Constitutionem Vrbani VIII. pro obseruatione Festorum editam, publicare dies festos pariter ex præcepto à Christi fidelibus colendos.

Vrbanus 8. Const. incip. Vniuersa. Die 13. Septemb. 1641

2. Præterea curent, vt populi sibi commissi hos dies ritè obseruent, summa veneratione Ecclesias frequentent, Sacrum attentè audiant, diuinis Officijs deuotè intendant, ab omni illicito, & seruili opere abstineant, mercaturas non faciant, profanæ negotiationes, Contractuum rogitus, exceptis à Iure permissis, & Iudiciorum strepitus conquiescant; sub grauissimis poenis arbitrio nostro, vltrà diuinam indignationem, & amissionem rerum, & animalium, iuxta Constit. B Pij V. contrauenientes mulctandi.

B. Pius V. Const. circa ordinat. diuini Cultus Bull. Cherub. 5. §. 7.

3. Tempore, quo diuina Officia celebrantur, aut Sacra Concio, Doctrina Christiana, vel quæcumque alia Ecclesiastica functio peragitur, nulli in Ecclesia, quam decet Sanctitudo, vel propè illam, strepitus, clamores, aut importunæ con- fabula-

Psal. 92.

ſabulationes fiant ; Citharædorum cantilenas, choreas, commeſſationes,& intemperantes compotationes in tabernis, atque alia eiuſmodi, quæ à diuino cultu populos reuocant, ſub pœna vnciarum quinque pijs operibus applicandarum, prohibemus.

4. Dum Miſſa ſolemnis, aut Concio ad populum habetur, officinæ & apothecæ quorumcumque mercatorum, atque artificum ex toto claudantur; reliquo autem die illas dumtaxat, in quibus aliquid ad victum diurnum neceſſarium vendi ſolet, apertas remanere permittimus, ante quas tamen exponi res venales prohibemus, ſub pœna tar.duodecim pro qualibet vice à Contrauentoribus ſoluen. Artifices autem, qui in ijs habitant, oſtiolum tantum apertum retinere valeant.

5. Licentia laborandi diebus feſtis tempore meſſis, recollectionis fructuum, vel quandocunque neceſſitas vrget, nonniſi à Vicario noſtro Generali, aut à Vicarijs foraneis, gratis tamen, concedatur; Si autem ad hos de facili recurſus haberi nequeat, proprius Parochus conſulatur, qui pro prudentia,& conſcientia ſua, quam in hoc grauiter oneramus, licentiam impertiatur.



Feſta

Festa de Præcepto obseruanda hæc sunt.

IANVARII.

1. Circumcisio Domini.
6. Epiphania Domini.
25. Conuersio S. Pauli Apostoli.

FEBRVARII.

2. Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
24. Sanctus Matthias Apostolus.

MARTII.

19. S. Ioseph Confessor.
25. Annunciatio B. Mariæ Virginis.

APRILIS.

MAII.

1. SS. Philippus, & Iacobus Apostoli.
3. Inuentio Sanctæ Crucis.

IVNII.

24. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29. SS. Petrus, & Paulus Apostoli.

IVLII.

25. Sanctus Iacobus Apostolus.
26. S.Anna Mater B.Mariæ Virginis.

AVGVSTI.

10. S.Laurentius Martyr.
15. Assumptio B.Mariæ Virginis.
24. S.Bartholomæus Apostolus.

SEPTEMBRIS.

8. Natiuitas B.Mariæ Virginis.
21. S.Matthæus Apostolus, & Euang.
29. Dedicatio S.Michaelis Archangeli.

OCTOBRIS.

28. SS.Simon, & Iudas Apostoli.

NOVEMBRIS.

1. Omnes Sancti.
30. Sanctus Andreas Apostolus.

DECEMBRIS.

8. Conceptio Immaculatæ Virginis Mariæ Patrona primaria nostræ Metropolis Panormitanæ, ac totius Siciliæ Regni.
21. Sanctus Thomas Apostolus.
25. Natiuitas Domini Nostri Iesu Christi.
26. Sanctus Stephanus Prothomartyr.
27. S.Ioannes Apost.& Euang.

San-

28. Sancti Innocentes.
31. S.Syluester Papa, & Confessor.

Dominicæ omnes.

Mobilia.

Resurrectio Domini, cum duobus sequentibus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum duobus sequentibus.
Festum Sanctissimæ Trinitatis.
Festum Corporis Christi.
Dies Patroni cuiuslibet Parochiæ, in ipsa tantùm.

Festa, quæ ex Populorum deuotione seruari possunt.

IANVARII.

21. S.Publius Episcopus, & Martyr, Insulæ Patronus.

FEBRVARII.

5. Sancta Agatha Virgo, & Martyr, Insulæ Patrona.

MAR-

MARTII.

7. Sanctus Thomas Aquinas Confeſs. & Eccleſiæ Doct.
12. S.Gregorius Papa, & Confeſſor.
20. S.Ioachim Confeſs.Pater B.V.Mariæ.

APRILIS.

2. S.Franciſcus de Paula Confeſsor.
25. S.Marcus Euangeliſta.

MAII.

4. S.Monica Vidua:
12. S.Philippus Argyrienſis Confeſsor.

IVNII.

11. S.Barnabas Apoſtolus.
13. S.Antonius de Padua Confeſsor.

IVLII.

2. Viſitatio B.Mariæ Virginis.
14. S.Bonauentura Epiſcop. Confeſs. & Eccleſiæ Doct.
16. S.Mariæ de Monte Carmelo.
22. S.Maria Magdalena.
31. S.Ignatius Loyola.

AVGVSTI.

1. S.Petrus ad Vincula.
2. S.Maria ad Portiunculam.
4. S.Dominicus Confessor.
5. S.Maria ad Niues.
6. Transfiguratio Domini.
16. S.Rocchus Confessor.
28. S.Augustinus Episcopus, Confess. & Ecclesiæ Doct.
29. Decollatio S.Ioannis Baptistæ.

SEPTEMBRIS.

4. S.Rosalia Virgo Panormitana.
14. Exaltatio S.Crucis.
30. S.Hieronymus Confessor, & Ecclesiæ Doctor.

OCTOBRIS.

2. SS.Angeli Custodes.
4. S.Franciscus Confessor.
16. S.Theresia Virgo.
18. S.Lucas Euangelista.

NOVEMBRIS.

11. S.Martinus Episc. & Confessor.
21. Præsentatio B.Virginis.
25. S.Catherina Virgo, & Martyr.

DE-

DECEMBRIS.

2. S.Franciſcus Xauerius.
7. S.Ambroſius Epiſcopus, Confeſs. & Eccleſiæ Doct.
13. S.Lucia Virgo, & Martyr.

CAPVT VII.

De Ieiunio.

1. CORPORALE Ieiunium ſanctè, & religiosè ab Eccleſia inſtitutum, quo vitia, & rebelles, ac tumultuantes humanæ carnis concupiſcentiæ aduerſus ſpiritum comprimuntur, & mens ad cæleſtia eleuatur, à fidelibus quibuſcunque, poſt completum ætatis annum vigeſimum primum, ſub mortalis peccati pœna obſeruari omni diligentia curandum eſt.

2. Doceant propterea Parochi poſt publicatas Vigilias, quæ de præcepto Eccleſiæ ſunt ieiunandæ, non ſolum à cibis vetitis, verùm etiam ab omni mortiferæ culpæ reatu abſtinendum: expoſtulat enim religioſa ieiunij obſeruantia, vt omnia noxia, quæ ſubruunt mentes fidelium, vitentur, & feruentiùs orationi, eleemoſynis, ac Sacramentis, quibus vindex ſupremi Iudicis ira flectitur, inſtetur.

3. Idcircò qui alijs temporibus, non sine graui Dei offensa, meretricum domos frequentant, tempore Quadragesimæ, ac Aduentus Domini ab illarum consortio, sub poenis Nobis arbitrarijs, penitùs abstineant.

4. Sacro Quadragesimæ tempore cibos vetitos publicè vendere, venales exponere, aut emere nemini liceat; Ad vsum autem infirmorum, in secreto certis constitutis locis, ijs tantùm, qui ex iusta causa licentiam in scriptis obtentam, à nostro Vicario Generali, seù Vicarijs foraneis subscriptam, habuerint, vendantur, sub poena vnc. vnius à contrauentoribus pro qualibet vice soluenda. Ideò Medici, ac Chirurgi testimonium, ac fidem suam vbi vrgens, ac iusta necessitas tantùm adfuerit, & non omnibus passim concedant.

5. Ad vitandam scandalorum occasionem, & ne tàm salutare ieiunij præceptum ab infidelibus illudatur, in publico à carnium comestione prorsùs abstineant, sed propriæ consulentes imbecillitati, secretò illas præparent, & comedant.

Dies

Dies Ieiuniorum.

Quadragesimæ singuli dies, exceptis Dominicis.

Quatuor tempora totius anni, videlicet:

Hyemalia, mense Decembri post festum Sanctæ Luciæ.

Vernalia, post primam Dominicam Quadragesimæ.

Aestiua, post Dominicam Pentecostes.

Autumnalia, mense Septembri post Festum Exaltationis Sanctæ Crucis.

Vigilia Pentecostes.

Vigilia Sancti Matthiæ 23. Februarij, & 24. in anno bissextili.

Vigilia Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ 23. Iunij.

Vigilia SS. Petri, & Pauli 28. Iunij.

Vigilia Sancti Iacobi 24. Iulij.

Vigilia Sancti Laurentij Martyris 9. Augusti.

Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis 14. Augusti.

Vigilia Sancti Bartholomæi Apostoli 24. Augusti.

Vigilia Sancti Matthæi Apostoli 20. Septembris.

Vigilia SS.Simeonis, & Iudæ Apostolorum 27. Octobris.
Vigilia Omnium Sanctorum 31.Octobris.
Vigilia Sancti Andreæ Apostoli 29. Nouembris.
Vigilia S.Thomæ Apostoli 20.Decembris.
Vigilia Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi 24.Decembris.
Feria sexta, & Sabbato per totum annum esus carnium interdicitur.



PARS

PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTIS, Seù de pertinentibus ad eorum vſum, frequentationem, & miniſtrationem,

CAPVT PRIMVM.

De Sacramentis in genere.

1. HRISTVS Dominus ità ſuam dilexit Eccleſiam, vt ſe ipſum traderet pro ea, vt illam ſanctificaret, ſanctiſsima nouæ legis Sacramenta, veluti inſtrumenta ſalutis, atque inuiſibilis gratiæ viſibiles formas in adiutorium humani generis inſtituendo: Non enim infirma ſunt, & egena elementa, ſed ex infinitis Redemptoris meritis, & paſſione ſpiritualem ſalutem continent, per quæ omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.

Ad Eph. 5.

Ad Gal. 4.

2. Propterea curent Parochi, alijque Sacerdotes, ad quos pertinet prætioſa hæc dona adminiſtrare, vita, moribuſque ſe reddere irreprehenſibiles, conſcientiamque ab omni lethali

cul-

culpa mundatam habere ; debitam materiam, ac verborum formam in vnoquoque Sacramento institutam, nihil addendo, vel minuendo, seù quouis alio modo variando, seruent; in ipso administrationis actu intentionem actualem, vel saltèm virtualem, ac firmam faciendi id, quod intendit Ecclesia, habeant; & induti superpelliceo, & stola, ijs tantùm ritibus, & cæremonijs in Rituali Romano sub Paulo V. edito præscriptis, illa conferant.

3. In quacunque hora diei, ac noctis eorum ministerium in administrandis Sacramentis populis sibi commissis adimpleant; Si qui enim eorum incuria absque Sacramentis decesserint, vltrà diuinam indignationem, grauissimis pœnis à Nobis punientur; nec quidquam prorsùs, quantumuis minimum, directè, vel indirectè sub quouis prætextu, petere, aut exigere audeant pro Sacramentis administrandis.

4. Sine speciali Parochi licentia nemo præsumat matrimonia solemnizare, & Sacramenta Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ Infirmis, siuè Clericis, siuè Laicis ministrare, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Sanctæ Sedi reseruatæ.

5. Habeant præterea Parochi quinque libros, prout in Visitatione nostra mandauimus, in quorum primo Baptizatorum, in secundo Con-

Confirmatorum, in tertio matrimonia Contrahentium, in quarto Defunctorum, in quinto denique omnium in sua Parochia degentium nomina distinctè teneantur describere, ad præscriptum Ritualis Romani; & post octauam Paschatis Resurrectionis omnium nõ Communicatorum nomina, cognomina, sexum, & ætatem Catalogum continentem, ad Nos quamprimum transmittant, sub poena vnc.quinque, pijs operibus applican. alijsque arbitrio nostro irrogandis.

CAPVT II.

De Sacramento Baptismi.

1. BEnignitas, & humanitas Saluatoris nostri secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, per Baptismi scilicet Sacramentum, quo non solùm deletur peccatum, & per peccatum mors, quæ intrauit in Mundum, sed & de regione vmbræ mortis nos in partem Sanctorum vocauit, & libro vitæ adscripsit: quapropter qua par est reuerentia, ac animi deuotione illud administrari curare debemus. *Ad Tit. c. 3*

2. Parochus igitur, seù alius Sacerdos de-

consensu eiusdem baptizaturus, diuinæ gratiæ, ad tàm præstantissimum opus assistentiam, à supremo rerum Conditore deuotè, & reuerentèr imploret, & indutus superpelliceo, & stola violacea, & postmodùm alba, ad formam Ritualis Romani, illud administret; & antequam infantem baptizet, à deferentibus diligenter inquirat, an domi, ita vrgente necessitate, baptizatus fuerit, sub qua materia, & forma, & an omnia illa peracta fuerint, quæ ad huiusmodi ministratiònem in casu periculi extra Ecclesiam requiruntur: & quatenùs baptizatum compererit, non iterùm baptizet, sed tantùm Catechismum, preces, ac Cœremonias omissas, & ab Ecclesia fieri consuetas, expleat. Si verò probabiliter de eius vilida ministratione dubitet, iterùm conferat, sub ea tamen conditione, si non est baptizatus &c. idemque seruetur cum infantibus repertis in via, seù expositis ad ianuam alicuius Ecclesiæ, vel Hospitalis sine baptismi schedula, si de recepto Sacramento à persona fide digna testimonium non habeatur, & cum ijs etiam, qui ob partus edendi difficultatem, mortisque periculum, in alia corporis emissa parte, quàm in capite, baptizati fuerint.

Trid. sess. 14. de Bapt. cap. 2.

3. Quamuis baptizandi munus ad proprium Parochum tantummodò pertineat, quoties tamen mortis manifestum imminet periculum, quilibet

bet

bet esse potest baptismi minister, qui applicata ritè materia, & forma, intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, seruata tamen gradus præeminentia, ita videlicet, vt Clericus Laico, masculus fœminæ in hoc Sacramento ministrando præferatur, nisi aliter necessitas suadeat, & honestas.

4. Quoniam plerumque qui baptismum in casibus necessitatis administrant, sunt obstetrices, has obstetricandi munus exercere prohibemus, si à Nobis, seù Vicario nostro Generali approbatæ non fuerint, & approbationem super eorum idoneitate in scriptis obtinuerint, sub pœna carceris, alijsque arbitrio nostro incurrendis; Et quamuis approbatæ existant, sæpè nihilominus examinētur à Parocho, an baptismi formam, aliaque necessaria ad baptizandum memoria retineant, & ea ignorantes accuratè, & patientèr ab eodem edoceantur.

5. In nominibus imponendis Parochus enixè hortetur parentes, ne nomina fabulosa, vel gentilitatem redolentia filijs imponant, sed solummodò ea, quæ Christianæ pietati conueniunt, vt sunt nomina Sanctorum. Plures patrini, iuxtà præscriptum Sac. Concil. Trid; non adhibeantur, sed vnus, siue vir, siue mulier, vel ad summum duo, vnus vir, & altera fœmina.

Trid. sess. 24. de refor. cap. 2. C. quamuis de cognat. spirituali in 6.

6. Ad patrini munus obeundum non ad-

mittantur mares, nisi iam completo decimo quarto ætatis anno, & fœminæ duodecimo; Sacramento Confirmationis nondùm initiati; qui in Paschate eiusdem anni confessi non fuerint, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non receperint; prima rudimenta Fidei ignorantes; publicè criminosi, meretrices, lenones, & similis notæ homines; denique quicunque Regulares vtriusque sexus, & Clerici, etiam in Sacris, sine nostra speciali licentia, sub pœnis arbitrio nostro infligendis

C. non licet Abbati de consecr. dist. 4.

7. Patrini antequam suscepto fungantur officio, moneantur à Parochis de affinitate, seù cognatione spirituali contrahenda inter ipsos, & baptizatum, eiusque genitores, & de obligatione illos Catholica Fide, & probatis moribus instituendi, si in hoc præstando parentes diligentes non fuerint.

Trid. sess. 24. de refor. cap. 2.

8. Infantes vnius Parochiæ pro suscipiendo baptismate ad aliam, sine nostra speciali licentia, & proprij Parochi consensu, non transferantur, sub poena vnc. quinque à Parochis, qui illis baptismum conferre ausi fuerint, incurrenda; nec sub Ritu Græcorum baptizentur, nisi sub eodem Ritu eorum genitores vitam duxerint.

9: Vt opportunè infantium suffocationis periculo occurratur, peracto baptismo debeant Parochi monere obstetricem, vt parentibus denun-

ciet,

ciet, nè aut ipsi, aut nutrix, aut quicunq. alij puerum anno minorem secum in lecto sine repagulo retineant, sub poena excommunicationis incurrendæ, alijsque arbitrio nostro infligendis secuta suffocatione.

10. Cathecumeni iam adulti ad sacrum Baptismi fontem non recipiantur, quin priùs præteritorum peccatorum contritionem, vel saltem attritionem habuerint, & in Catholicæ Fidei rudimentis fuerint sufficienter instructi, præuia facultate à Nobis obtenta.

CAPVT III.

De Sacramento Confirmationis.

1. CVm Nobis, tanquam Christi militiæ per Baptismi Sacramentum adscriptis, sit colluctandum aduersus principes, & potestates, aduersus Mundi rectores tenebrarum, Christus Dominus noster sacro Chrismate nos regenerauit ad pugnam, vt in spirituali certamine, huius Sacramenti virtute fortiores effecti, illius nomen audacter confiteri, & spirituales hostes debellare valeamus. Ineffabiles igitur huius Sacramenti virtutes curent animarum Rectores omni, qua poterunt diligentia, populis explicare, & in eorum animis inserere. *Ad Eph. 6.*

Cum

2. Cum contigerit in Dioecesi nostra Confirmationis Sacramentum administrari, denuncient Parochi infra Missarum solemnia, Confirmandos debere esse ætatis, vt vsum rationis habeant, in Mysterijs Fidei sufficienter instructos; adultos non debere accedere,quin priùs propriam conscientiam Sacramento poenitentiæ expiauerint; simulque edoceant per hoc Sacramentum indelebilem characterem, ac notam imprimi in anima; ideoque sine sacrilegio reiterari non posse; & eamdem cognationem spiritualem, quæ in Baptismo, & inter easdem personas, hic quoque contrahi.

3. A receptione huius Sacramenti abstineant adulteri, meretrices, excommunicati, interdicti, vel grauioribus facinoribus alligati.

4. Non assumantur Patrini,qui non sint eius conditionis, quam in Sacramento Baptismi decreuimus; sint natu maiores, vel saltem ætate pares Confirmando, & huius Sacramenti functioni adhibendi,diuersi ab ijs, qui in Sacramento Baptismi adhibiti fuerunt; sintque tantum vnus,vel vna, iuxta Sacrorum Canonum dispositionem; illudque seruari volumus honestatis ratione, vt mares à maribus, foeminæ à foeminis suscipiantur; coetera verò iuxta Episcoporum Coeremoniale perficiantur.

CA-

CAPVT IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

1. COmmendauit Deus charitatem suam in nobis, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum in vltima cum Discipulis Cœna ante Passionem sub speciebus panis, & vini, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alimur, & confortamur, instituendo. Vt igitur tàm eximij erga nos amoris, & futuræ gloriæ sacratissimum pignus, qua par est reuerentia, ac veneratione, colatur, hæc seruari mandamus. *Ad Rom. cap. 5.*

2. Sanctissima Eucharistia in Ecclesijs tantùm Parochialibus, Collegiatis, & Conuentualibus summo, quo potest decore, asseruetur in argentea Pyxide intrinsecùs deaurata, suo conopæo serico albi coloris cõtecta, super mundo Corporali in planitie Tabernaculi strato, quolibet bimestri mutando. Ipsum Tabernaculum, in quo recondenda est Pyxis, sit ornatissimum, magna ex parte extrinsecùs deauratũ, cum suis conopæis albi, rubri, viridis, & violacei colorum, pro temporis ratione mutandis; intrinsecùs verò serico panno ornatum, eius ostiolum firmissima sera, & claui argentea, prout ferè in omnibus nostræ *C. Epis. 15. Ianu. 1619*

Diæ-

Dioecesis Ecclesijs seruari inuenimus, claudatur, quam apud se Parochus custodiat, nec vnquam apertum relinquat, sub poenis à Sacris Canonibus sancitis. Ex parte interiori ostioli cortinula serica albi coloris ponatur.

C. 1. de Custod. Euch.

3. In Ecclesijs Parochialibus in eodem Tabernaculo duæ saltem Pyxides conseruentur, in quarum minori nullæ collocentur Particulæ, nisi cum ad infirmos Sanctissimum hoc Sacramentum erit deferendum; in maiori verò conseruentur semper sacræ Particulæ, quolibet octauo die renouandæ, ea copia, vt fidelibus communicare volentibus, & maximè infirmis, nunquam desint, sub poenis arbitrio nostro infligendis Parochis, quorum culpa defecerint.

C. Causa de consecr. dist. 1.

4. Ante ipsum Sanctissimum Sacramentum diù, noctuque vna saltem colluceat lampas, sub poena tar. duodecim pro qualibet vice, qua ob negligentiam custodis extingui contigerit.

5. Curent Parochi populos ad frequentem huius Sacramenti sumptionem, tùm per se ipsos, tùm per Concionatores, paterno affectu hortari, illosque, qua ratione ad hunc Angelorum cibum edendum, ne iudicium sibi manducent, præparatos esse debere, edoceant.

1. ad Corin. 11.

6. Clerici saltem semel in mense, præmissa Sacramentali Confessione, ad hanc mensam salutarem accedere teneantur: quod nisi Parochi atte-

Trid. sess. 23. c. 11. de reform.

attestatione adimpleuisse probauerint, nouerint se ad Ordines superiores non esse promouendos; Diaconi verò, & Subdiaconi, saltem diebus Dominicis, & solemnibus cum Altari ministrauerint, sciant maximè decere, si Sacram Communionem perceperint. *Seff. ead cap.13.*

7. Pueri ad hoc Sacramentum non admittantur, quin priùs iuxta vniuscuiusque captum in ijs, quæ ad Fidem, & dignam huius altissimi Sacramenti susceptionem pertinent, fuerint diligenter instructi, & à proprio Parocho super rudimentis Fidei examinati, habiles reperti.

8. Ab huius Sacramenti perceptione arceantur publicè excommunicati, concubinarij, meretrices, blasphemi, malefici, vsurarij publici, & publici criminosi; ij præterea, qui in odio proximi cum scandalo perseuerant: nec non Coniuges cohabitare sine causa legitima, à Nobis approbanda, nolentes; donec per aliquod congrui temporis spatium non resipuerint, & manifestè constet de eorum pœnitentia: denique amentes, qui lucida interualla non habeant. *C. quia omnib. de vsur. C. pro dilectione, & seq. de conser.*

9. Nemo ad Communionem Paschalem (ad quam omnes vtriusque sexus fideles in propria Parochia ecclesiastico præcepto tenentur) admittatur, qui proprio Parocho non fuerit confessus, vel alterius Confessarij fidem de eius confessio- *C. Trident. seff.13.c.9. Cap. omnis vtriusque sex. de pœnit. & remiss.*

fessione, saltem in tota Quadragesima facta, non habuerit.

10. Vt faciliùs innotescant qui propriæ salutis immemores hoc præceptum non adimpleuerunt, quotannis initio Quadragesimæ vnusquisque Parochus singulas suæ Parochiæ domus adeat, suasque recognoscat oues, & statum animarum conficiat, omnium de familia nomina, ætatem, & sexum in peculiari libro referendo: distribuat deinde in Festo Paschatis Sanctissimam Eucharistiam sumentibus schedulas, Ecclesiæ titulum, & anni currentis numerum continentes, factaque cum libro collatione, quos defecisse deprehenderit, eos pluries priuatim, deinde publicè, suppresso tamen nomine, secunda Dominica post Pascha cum interminatione Censurarum infra Missarum solemnia admoneat, vt ecclesiasticum hoc præceptum exequantur: & si contumaces extiterint, eorum notam ante Festum Pentecostes, sub pœna suspensionis, ad Nos deferat, vt post canonicam monitionem, nisi resipuerint, ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & ecclesiastica sepultura priuentur.

11. Absentes à propria Parochia tempore Paschali, teneantur post eorum reditum in propria Parochia ecclesiastico præcepto satisfacere; nisi suscepti Sacramenti testimonium Ordinarij loci, in quo receperunt, ostenderint.

Tem-

12. Tempore, quo Sanctissimum Eucharistiæ fidelibus ministratur, accendantur super Altari duæ saltem candelæ, & à latere intortitium, & mappæ lineæ mundæ coram communicantibus extendantur. Ad confusionem vitandam, primùm mares, deinde fœminæ communicentur.

13. Quotiescunque Eucharistia ad infirmos est deferenda, si tempus patiatur, Parochus priùs ad infirmi domum accedat, aut alium Sacerdotem ad Confessiones approbatum transmittat, qui illum ad dignam tanti Sacramenti receptionem præparet; & dato campanæ signo, deferatur à proprio Parocho (nisi legitimè fuerit impeditus) sub baldachino, superpelliceo, & pluuiali induto, summa cum religione, & grauitate, oculis in id semper intentis, psalmos, & hymnos intereundo recitando, luminibus, & tintinnabulo præcedentibus. Infirmo denique Sacra Communione refecto, statim ad Ecclesiam reuertatur, Sacramentoque super Altari maiori reposito, populum associantem benedicat, eique emeritos pro exhibito munere Indulgentiarum thesauros annunciet; & postremò infirmum orationibus adstantium enixè commendans, Sacratissimam Eucharistiam in cõsueto Tabernaculo reuerenter reponat. Si verò extra Ciuitatem, aut Pagum per loca inuia deferri contigerit Sacramentum ægroto longè admodum remoto ab Ecclesia, tunc

omisso apparatu prædicto, à Parocho superpelliceo, & stola induto, vna saltem lanterna præcedente, vnica tantùm Particula in parua Pyxide reposita, deferatur.

C. Episc. & Regul. 10. Dec. 1602. & in vna Dertonen. 13. Martij 1647.

14. Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum publicè cum solemnitate, etiam in Ecclesijs Regularium, non exponatur, nisi obtenta priùs à Nobis facultate; Et quotiescunque exponi contigerit, ante ipsum saltem duodecim cerei ardeant, & Altare, Capella, atque etiam Ecclesia, pro facultatibus locorum, exornetur, simulque distributis horis à Clericis, & Sacerdotibus, superpelliceo, & stola indutis, preces continenter fundantur.

CAPVT V.

De Sacrificio Missæ.

Ad Ephes. cap. 5.

1. CHristus Dominus, ac Saluator noster, etsi semel in ara Crucis tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo; incruentum tamen Missæ Sacrificium, quo sacratissimæ suæ Passionis in finem vsque seculi pia recoleretur memoria, quotidie in Altari à Sacerdotibus in remissionem earum, quæ à nobis committuntur præuaricationum, offerri instituit. Ad dignã igitur tanti Sacrificij oblationem, tàm

à Mi-

à Miniſtris, quàm à fidelibus peragendam, ad præſcriptum Sac. Concil. Trident. ac Summorum Pontificum Conſtitutionum, hæc præcipuè obſeruanda decernimus. *C. Trident. ſeſſ. 22. c. 1. & ſeq.*

2. Veſtes ſacræ pro hoc Sacrificio neceſſariæ, neque turpes ſint, neque vſu attritæ, & vetuſtate corroſæ, ſed honeſtæ, & eorum colorum, quibus Eccleſia pro ratione temporum vti ſolet. Albæ, amictus, pallæ, corporalia, & purificatoria munda, ac ſigillatim corporalia textura plana ſint, & nullo artificio in medio elaborata, ſed exactè delinita, vt facilè ex ijs quæcunque ſacræ Hoſtiæ reliquiæ colligi poſſint.

3. Nemo, quamuis Sacerdotali ordine inſignitus, ad primam Miſſam dicendam admittatur, niſi præuio examine de neceſſarijs ritibus obeundis habilis, & inſtructus repertus, atteſtationem Magiſtri Cœremoniarum noſtræ Cathedralis Eccleſiæ circa earumdem peritiam habeat, & neceſſariam facultatem à Nobis, ſeù à Vicario noſtro Generali obtinuerit, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſæ.

4. Sacerdotes exteri, & vagi, in quacunque Eccleſia, etiam Regularium, ad Miſſæ ſacrificium celebrandũ nõ admittãtur, niſi ſuorũ Ordinariorũ literas teſtimoniales exhibuerint, & illis legitimè recognitis, ac approbatis, licentiam Vicarij *C. Trident. ſeſſ. 23. c. 16 de refor. Con. Conc. 29. Nouembris 1670.*

no-

nostri Generalis, seù Rectorum Ecclesiæ respe- *C. Episc. & Regul. 14. Ian. 1625.*
ctiuè, obtinuerint.

5. In Monialium Ecclesijs nullus Sacerdos absque nostra, vel Vicarij nostri Generalis facultate, sub poena suspensionis à diuinis, celebrare præsumat. Omnibus tàm Secularibus, quàm Regularibus Sacerdotibus, in diebus festiuitatis Monasterij, aut in obitu Monialium, celebrandi facultatem liberam concedimus.

6. Quilibet Sacerdos Sacrificium oblaturus, ex Rubricarum præscripto priùs saltem Matutinum absoluat; tùm expurgata conscientia ab omni criminum labe, animum in tanti Mysterij cogitationė defigat; Missam præuideat, vt omnia expeditè, & sine hæsitatione legat; omnes eius partes, ne in illarum inquisitione tempus terat, signaculis notet; nimiam celeritatem, nimiamque longitudinem in legendo non affectet; quæ alta voce dicenda sunt, clarè, distinctè ad singulorum intelligentiam pronunciet, quæ verò secretè, submissè, ne à circumstantibus percipiantur, recitet: Hostiam candidam, illæsam, ac recentem, ex puro tritico, & aqua naturali confectam, vinum paritèr non acidum, non fœculentum, & (si fieri potest) album, adhibeat.

7. Antequam Sacras Vestes induat, certis se precibus præparet, intentionem celebrandi,

con-

consecrandiq. renouet, ac dum illis se induit, consuetas precationes faciat, & indutus silentium seruet; per Ecclesiam, vel Sacristiam indecorè non discurrat; nihil deniique prætermittat, quod ad Sacrificium ritè, & deuotè peragendum exoptari potest.

8. Cum ad Altare celebraturus accedit, bireto cooperto capite (nisi Sanctissimũ Sacramentũ in Altari fuerit expositum) demissis oculis, incessu graui, & composito, ac præcedente (si fieri potest) MinistroClerico superpelliceo induto, nemineque salutato, progrediatur: pileolo in celebrando non vtatur, nec illum super Altari reponat, anulum non deferat, sub poena vnciæ vnius p.g. pijs operibus applicandæ.

C. Nullus Episc. de consecr. dist. 1. Con. Rituum 20. Nouembris 1628.

9. In Missarum celebratione eas tantùm coeremonias adhibeat, quæ ab Ecclesia probatæ, & communi Sacerdotum vsu receptæ sunt: plures, aut pauciores orationes, siue collectas in Missa, quàm quæ à Rubricis Missalis præscribuntur, recitare non audeat.

10. Det operam, vt Missa cum Officio conueniat, nec Missam ferialem de facili prætermittat propter aliam ex deuotione celebrandam, præsertim vbi aliæ non adsint Missæ diebus Dominicis, & festis duplicibus. Missas votiuas, aut Defunctorum celebrare non audeat, nisi quoties à Missali Romano permittitur, cuius Rubricas in

Sac. Rit. Congr. Die 5. Augusti 1662.

his,

his, & in omnibus alijs accuratè obseruari mandamus.

Con. Rituũ 5. Augusti 1622. 11. Quod si ex benefactorum præscripto Missæ huiusmodi celebrandæ incidant in festum duplex, tunc minimè transferantur in aliam diẽ non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, cum applicatione Sacrificij iuxtà mentem eorumdem benefactorum.

Con. Rituũ 9. Augusti 1653. & 20. April. 1664. 12. Antę auroram, vel post meridiem Sacrum facere non liceat, sub poena suspensionis, alijsque arbitrio nostro irrogandis, excepta nocte Natiuitatis Sanctissimi Domini Nostri Saluatoris, in qua primam tantùm Missam solemnem licitum erit celebrare, & in ea sacra Communio deposcentibus non administretur.

13. In diebus festis in Parochialibus, & Ruralibus Ecclesijs nullus ante Parochum, & Missam Parochialem celebrare audeat, nec quando is ad populum Concionem habet, nisi à Nobis licentiam ob aliquam honestam causam in scriptis obtinuerit, sub poena suspensionis incurrendæ. Curet autem Parochus pro maiori populi, & Celebrantium commodo, vt Missa Parochialis, à primo die mensis Maij vsque ad totum mensem Octobris, terminetur hora nona, reliquo verò anni tempore, hora decima, sub poenis arbitrio nostro infligendis.

One-

14. Onera Missarum in perpetuum à nemine recipiantur, non impetrata priùs à Nobis licentia, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiæ ex decretis Sacræ Congregationis Concilij, nec illa reducantur, moderentur, aut commutentur, etiamsi legatum esset tenue, & redditus non sufficerent, sed pro his omnibus ad Sanctam Sedem Apostolicam habeatur recursus, nisi in ipsa fundatione aliter fuerit cautum. *Con. Conc. Trid. decr. de celebrat. Miss. iussu Vrbani 8. edit. 21. Iunij 1625.*

15. Missæ tot absolutè celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, quamuis stipendia, quantumcunque incongrua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerint; alioquin qui celebrare tenetur, grauiter se peccare nouerit, & ad restitutionem teneri. *Ead. S. Co. in respons. ad secundũ.*

16. Sacerdos, qui Missam cum certa eleemosyna celebrandam suscepit, eamdem alteri, retenta sibi parte dictæ eleemosynæ, etiamsi maior solita oblata fuerit, committere sine graui culpa, & restitutionis obligatione non potest; Imò nec pro expensis luminum, vini, hostiæ, aliorumque &c. quidquam vtcumque minimum detrahi potest, nisi Ecclesiæ, & Sacristiæ nullos habeant redditus: & tunc in subsidium expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, poterit aliquid retineri, à Nobis, seù Vicario nostro Generali pro Ecclesiæ conditione, cæteris- *Ead. S. ac similiter.* *Ead. S. Co. ad septimũ.*

Ead. ad vndecimum. que omnibus pensatis, taxandum.

17. Manuales eleemosynæ pro Missis celebrandis non recipiantur, nisi pro iam acceptis satisfactum fuerit, aut infra modicum tempus, vnius nempè mensis, satisfieri possit, nisi tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione consentiat, vt illæ tunc demùm celebrentur, cùm susceptis oneribus fuerit satisfactum. Anticipatæ autem Missarum celebrationes pro incerta eleemósyna offerenda, recipi omninò prohibentur.

18. Omnia alia decreta à Sacra Congregatione Concilij auctoritate Vrbani VIII. edita de celebratione Missarum, absque vlla declaratione, interpretatione, glosatione, inuiolabilitèr obseruari mandamus.

Con. Conc. 15. Decembris 1663. 19. In cuiusuis Ecclesiæ Sacristia, aut in Choro, perpetuò conseruetur, & affixa retineatur tabella, prout in nostra visitatione mandauimus, in qua dilucidè, & distinctè Missarum onera adnotentur cum suis qualitatibus, sintne titulo Beneficij fundata, an ex pia aliqua dispositione constituta, ad tempus, an perpetua, quo die, quo in Altari, & quoties in hebdomada, mense, vel anno adimplenda; nomina quoque, & cognomina fundatorum, vel benefactorum, & rogitus Notariorum describantur.

20. Plures etiam detineantur libri, siue separatim

ratìm, siue coniunctìm in vnum grandiorem, ita vt suo quisque respondeat oneri, in cuius principio describatur titulus oneris iuxtà tenorem tabellæ, in quo Sacerdos, statim peracto Sacro, nomen suum, cum testimonio celebrationis tali die, mense, & anno factæ, manu propria inscribat, & qui in eo Missam non dictam falsò adnotauerit, poenam suspensionis ipso facto se incursurum nouerit. Libri verò prædicti postquam fuerint toti scripti, & expleti, in Archiuio Ecclesiæ à Parocho, vel ab alio, cui onus incumbit, fideliter asseruentur.

CAPVT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1. DEus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, imbecillitatis nostræ conscius, poenitentiæ Sacramentum, quo à peccatis absoluti amissam gratiam, pacem, & serenitatem conscientiæ, cælestesque consolationes adipisci possimus, misericorditer instituit. Ardenter igitur Parochi ad huius Sacramenti frequentiam suas hortentur oues, & quæ ad eius fructus verè consequendos requiruntur, sedulò edoceant. *Ad Eph. 2.*

2. Nullus Sacerdos, siue Secularis, siue Regula-

gularis pœnitentium confeſſiones, extrà mortis articulum, audire præſumat, niſi aut Parochus ſit, aut, præuio examine idoneus repertus, neceſſariam approbationem à Nobis, aut à Vicario noſtro Generali obtinuerit, quolibet ſemeſtri renouandam, ſub pœna excommunicationis, non obſtante quouis priuilegio.

3. Curet Confeſſarius miniſterium, quod gerit, accuratè tractare, ac ſtudeat peccata rectè diſtinguere, conſcientias expurgare medio examine; confitentium, vel negligentiam, vel ignorantiam ſupplere, cordium duritiam aptis admonitionibus emollire, & ad veram pœnitentiã, ac ad firmum ampliùs non relabendi propoſitum deducere; in reprehendendis peccatoribus prudentèr, & grauitèr ſe gerat; ab otioſis interrogationibus abſtineat, & præcipuè nè pueros, aut puellas, cæteroſque rudes de eo, quod interrogat, interrogando inſtruat; pœnitentias, quas veriſimile eſt non eſſe adimplendas, euitet, ſed eiuſmodi ſint, vt & ſatisfaciant de præterito, & recidiuo opportunum remedium eſſe poſſint: pœnitentias pecuniarias nonniſi pro pauperibus iuuandis, & pijs ſubleuandis locis imponat; pecuniam tamen pro ſe, intuitu Confeſſionis, etiam ſpontè oblatam, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis non recipiat.

4. Non miniſtretur pœnitentiæ Sacramentum,

tum,

tum, seclusis infirmitatis, aut necessitatis casibus, præsertim mulieribus, alio quàm diurno tempore, nec alio in loco, quàm in Sede confessionali, loco patenti, & conspicuo Ecclesiæ exposita, lamina ferrea, spissis foraminibus terebrata, inter Sacerdotem, & mulierem confitentem interiecta: in priuatis domibus, etiam à Regularibus, nullo modo, nisi infirmitatis causa; semper tamen patentibus cubiculi ianuis, vt ab omnibus conspiciatur, sub pœna suspensionis à Confessarij officio ipso facto incurrenda. *C. Episc. 1. Iulij 1606*

5. Confessarius Secularis in actu audiendi Confessiones, & præcipuè diebus festis, atque etiam alio tempore, si plures erunt pœnitentes, superpelliceo, & stola, ac bireto Sacerdotali, Regularis verò habitu in Choro adhiberi solito, vtatur, sub pœnis Nobis arbitrarijs.

6. Cum Sacrorum Canonum præcepto fideles omnes vtriusque sexus, postquam ad perfectum rationis vsum peruenerint, peccata sua saltem semel in anno proprio Sacerdoti, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & priuationis ecclesiasticæ sepulturæ, fideliter, confiteri teneantur, hortentur Parochi populos, vt sæpiùs in anno id faciant, ac præsertim acceptabili Quadragesimæ tempore nolint Confessionem ad hebdomadam sanctam differre, quando Sacerdotes tùm propter multitudinem confitentium, tùm propter diuina, *Cap. omnis vtriusque sexus de pæn. & remiss.*

uina,

uina officia, quibus intereſſe debent, tùm etiam propter temporis anguſtias, difficilè ſuæ, & confitentium conſcientiæ ſatisfacere poſſunt.

7. Ijdem Parochi infirmos inuiſentes ad poenitentiam cohortentur; quin & ipſi Medici, iuxtà Bullam B. Pij V. de facienda Confeſſione, commonefaciant: quòd ſi hoc poſt triduum facere negligant, ad eos ampliùs non reuertantur.

Bulla B. Pij V. quæ incipit Super Gregem

8. Quoniam plurimùm refert Confeſſionis ſigillum inuiolatum ſeruari, curent Confeſſarij nullo vnquam caſu quoduis vel minimum peccatum directè, vel indirectè, ante, vel poſt mortem pœnitentis, reuelare, ſub poenis, vltrà ſacrilegium, ſuſpenſionis à diuinis, alijſque Nobis arbitrarijs.

9. Caueant præterea Confeſſarij omnes, tàm Seculares, quàm Regulares, in huius Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione ab execrando, & horribili ſollicitationis ſcelere, & meminerint quid cautũ ſit per Sacros Canones, Summorumq. Pontificum ſanctiones contra ſollicitantes in confeſſione ad turpia, & inhoneſtos actus, turpeſque ſermones, ſeù tractatus habentes ſiue ante, ſiue poſt immediatè, ſeu occaſione, aut ſub prætextu confeſſionis, ſiue in loco confeſſionis. Et ſi quos nouerint ab alijs ſollicitatos, moneant de eorum obligatione ſollicitantes S. Inquiſitionis Tribunali denunciandi.

B. Pius V. Conſtit. 3. Greg. XV. conſt. 34.

In

10. In Sedibus confeſſionalibus ex parte, pœnitentis aliqua pia imago affixa detineatur, & ex parte Confeſſarij Caſus Bullæ Cœnæ Domini, & Nobis reſeruati, ne quis propter eorũ ignorantiam ab ijſdem abſoluat. Eoſdem Caſus Bullæ Cœnæ Domini, & Nobis reſeruatos Parochi omnes, ſemel ſaltem in anno feria quinta maioris hebdomadæ, ſuis populis euulgent.

11. Caſus reſeruati in Bulla Cœnæ Domini ſunt.

I. Si qui Hæretici fuerint, aut eos receptauerint, defenderint, & ijſdem fauerint. Si qui legerint, retinuerint, & impreſſerint libros Hæreticorum. Item ſi qui ſe ſubtraxerint ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter, & Schiſmatici extiterint.

II. Si quis appellauerit à Romano Pontifice ad futurum Concilium, & appellanti fauerit.

III. Si quis Pirata per mare Romanæ Eccleſiæ diſcurrerit, vel qui eum defenderit, receptauerit, aut eidem fauerit.

IV. Si quis ſurripuerit quæuis bona Chriſtianorum naufragorum.

V. Si quis noua pedagia, ſeù gabellas impoſuerit, vel auxerit, aut exegerit.

VI. Si quis Apoſtolicas literas falſificauerit.

Si

VII. Si quis detulerit arma,& alia prohibita ad Turcas, vel Christiani nominis hostes. Item si quis certificauerit eos de rebus Christianorum, & ad præmissa auxilium dederit, consilium, & fauorem.

VIII. Si quis impedierit,vel prohibuerit eos, qui victualia, & alia necessaria ad Vrbem deferunt, vel dederit ad id auxilium, consilium, & fauorem.

IX. Si quis offenderit eos,qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel in Curia morantes.

X. Si quis offenderit Romipetas, vel Peregrinos deuotionis gratia ad Vrbem accedentes, vel in ea commorantes, inde etiam recedentes, & si ad id consilium dederit, auxilium, & fauorem.

XI. Si quis offenderit, vel persecutus fuerit, aut expulerit Cardinales, Patriarchas, & Episcopos.

XII. Si quis offenderit eos, qui recurrunt ad Sedem Apostolicam pro suis negotijs, vel eorum Aduocatos, Procuratores, Iudices, & si ad id dederit,consilium,auxilium, & fauorem.

XIII. Si quis appellauerit à grauamine,vel executione literarum Apostolicarum, recurrendo ad Curiam Secularem.

XIV. Si quis impedierit executionem literarum Apostolicarum, vel suorum Ministro-

rum

rum, vel prohibuerit accedentes ad eam obtinendam.

XV. Si quis traxerit perſonas Eccleſiaſticas quomodocunque ad Tribunalia ſecularia; Si ſuſtulerit, reſtrinxerit, offenderit, aut depreſſerit libertatem Eccleſiaſticam, vel præiudicauerit Iuribus Sedis Apoſtolicæ, & aliarum Eccleſiarùm.

XVI. Si quis impedierit Epiſcopos, vel alios Prælatos quominùs ſua Iuriſdictione vtantur, & recurrerit ad Curias ſeculares à ſententijs eorum.

XVII. Si quis vſurpauerit bona, & Iura Sedis Apoſtolicæ, & aliarum Eccleſiarum.

XVIII. Si quis impoſuerit onera, collectas, talias, & gabellas perſonis Eccleſiaſticis, vel eorum bonis, vel eas exegerit etiam à ſponte dantibus.

XIX. Si quis Iudex, vel alius ſecularis ſeſe interpoſuerit in Cauſis criminalibus perſonarum Eccleſiaſticarum.

XX. Si quis occupauerit bona, & terras Eccleſiæ Romanæ, aut in illis ſupremam Iuriſdictionem vſurpauerit, & ad hoc auxilium, conſilium, & fauorem dederit.

12. Caſus Epiſcopo reſeruati.

I. Peccatum Sodomiæ, & Beſtialitatis.

II. Fornicatio cum Infideli.

H Qui

III. Qui Virginem etiam volentem deflorat, & ipsa etiam, quæ se finit deflorari volens.

IV. Qui parentes percusserit.

V. Qui in Iudicio Iuramentum cum mendacio fecerit, etiamsi fuerit pro vtilitate, & salute alterius.

VI. Qui, vel quæ lenocinium committit; foeminas quærendo in alterius vsum, siue domum alteri, aut locum pro eodem accommodando.

VII. Separatio thori ex quacunque causa absque Episcopi scientia.

VIII. Ante contractum matrimonium coeuntes.

IX. Incæstus inter consanguinitate, vel affinitate coniunctos vsque ad secundum gradum inclusiuè, etiam in cognatione spirituali contracta per susceptionem in Baptismo, vel Confirmatione.

A supradictis casibus nemo, siue Secularis, siue Regularis, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, audeat absolutionem impertiri, non obtenta priùs à Nobis necessaria facultate, excepto tamen in mortis articulo.

CAPVT VII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

1. CVm summoperè curandum sit, vt Christi fideles in extremo vitæ constituti, cursu consumato, fideque seruata, coronam gloriæ, quam redditurus est iustus, & misericors Dominus, consequi valeant, & ne inter infirmitatis angustias viribus destituti, ac propriæ salutis incertitudine perterriti, spiritualibus priuentur auxilijs; ideo curam animarum habentes monemus, & obsecramus in Domino, vt in huius Sacramenti ministerio, in quo peccatorum expurgantur reliquiæ, & ægrotorum animæ alleuiantur, omnem pietatis affectum adhibeant.

2. ad Timot. 4.

2. Sacrum Oleum infirmorum, sicut & alia, Catechumenorum scilicet, & Chrismatis, aliundè sibi Parochi non comparent, quàm à nostra Cathedrali Ecclesia, ad quam intra decem dies post festum Paschatis Resurrectionis ipsi Parochi ea petituri accedant, aut certè Sacerdotem, seu saltem Clericum in Sacris constitutum mittant cum tribus Vasculis argenteis, sua singulis inscriptione distinctis, & capsula lignea inclusis;

clusis; Oleum deinde infirmorum intra vasculum argenteum cautè transfundatur, & in fenestella in proximo pariete à cornu Euangelij Altaris maioris effossa, intùs, & exteriùs decenter ornata sera, & claui ferreis munita, conseruetur.

Clem.1. de Priuil. 3. In alijs Ecclesijs quàm Parochialibus, & Regularium pro ipsorum vsu dumtaxat, illud retineri prohibemus Solus Parochus, vel, ipso legitimè impedito, alius Sacerdos de eius licentia, superpelliceo, & stola indutus, hoc Sacramentum ægrotis in mortis articulo verè constitutis, adhuc tamen sensu, quantum fieri potest, integro existentibus, conferat.

4. Eodem tempore, quo infirmus inungitur, verba proferantur, aliæque expleantur Cæremoniæ in Rituali Romano præscriptæ: Fiat vnctio à quinque sensibus, pedibus, & renibus; hæc verò vltima propter honestatem in mulieribus omittatur.

5. Verborum forma ad singulas sensuum vnctiones repetatur; si verò periculum sit in mora ne decedat infirmus, ab vnctionibus incipiatur, celeri motu omnes corporis sensus vngantur sub vnica forma, nempè, Per istam &c. indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti &c. Dubio verò existente, an adhuc viuat ægrotus, sub conditione prosequatur.

Eo-

6. Eodem morbo durante, prædictum Sacramentum non repetatur, nisi semel inunctus meliùs se habere cœperit, & recuperata valetudine, in nouum mortis periculum recidat.

7. Vnctione peracta Parochus hortetur infirmum ad morbi dolores patienter ferendos, & vt omnem spem suam in salutiferæ Passionis Dominicæ meritis collocet, & Sanctissimi Iesu Nomen, si ore nequiuerit, corde tamen nunquam desinat inuocare; moneatque eos, qui ægroti curam gerunt, vt laborantem in extremis, orationibus Deo commendent. Gossipium, quo eius membra deterguntur, non in domo infirmi, sed in Ecclesia concremetur, eiusque cineres in Sacrarium reponantur.

8. Caueant denique Parochi, vt in hoc Sacramento administrando omnem diligentiam adhibeant, ne vlli grauiter ægrotantes quocunque tempore, aut loco, absque Sacramento hoc, eorum culpa, aut negligentia decedant, sub pœnis à Sacris Canonibus impositis, alijsque arbitrio nostro imponendis.

CAPVT VIII.

De Sacramento Ordinis.

1. QVi sacris Ministerijs mancipari voluerint, & ad Sacerdotalis Dignitatis fastigium per multiplices Ordinum gradus ascendere, vocatos à Deo tanquam Aaron, sanctos moribus, & mundos opere, tanquam Dei dispensatores, oportet esse: ac propterea qui ad quoscunque Ordines Sacros promoueri optauerint, per mensem ante Ordinationem Nos, aut Vicarium nostrum Generalem adeant pro commissione inquisitionis, vt eorum nominibus, & desiderijs publicè in Ecclesia inter Missarum solemnia à Parocho propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, ac vita, necnon patrimonij titulo, exactam, certamque cognitionem habere possimus.

Ad Heb. 5. Ad Tit. 1.

Con. Trid. sess. 23. c. 5. de reform.

2. Prima Clericali tonsura initiandi sacro Chrismate confirmati sint, Fidei rudimenta, legendi, & scribendi peritiam habeant, non metu, & vi parentum, aut secularis iudicij fugiendi causa, vlloue alio terreno affectu impulsi, sed spontè, ac cultus diuini zelo moti, cum proposito perseuerandi, hoc vitæ genus eligant.

Con. Trid. sess. 23. c. 4. de reform.

Qui

3. Qui minores Ordines recipere cupiunt, ſciant linguam latinam, literas teſtimoniales primæ tonſuræ, vel vltimi Ordinis ſuſcepti, & bonum teſtimonium à Parocho de moribus, geſtatione habitus clericalis, frequentatione Sacræ Comunionis, ac de præſtito ſeruitio Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, deferant, & à Magiſtro Scholæ de morum probitate, progreſſuque in ſtudijs; vt habiles, & digni ad Ordines recipiendos dignoſcantur.

4. Ad Sacros verò promouendi ſint verſati in minoribus, & inſtructi in ijs, quæ pertinent ad Ordinis ſuſcipiendi exercitium;benè linguam latinam intelligant, &,Deo adiuuante, ſe continere poſſe ſperent. *Con. Trid. ſeſſ.23.c.13 de reform.*

5. Ad Sacerdotalis dignitatis gradum, aſcenſuri ſciant quæ neceſſaria ſunt tàm ad ſalutem animarum, quàm ad Miſſæ celebrationem, & Sacramentorum adminiſtrationem;aliqualem inſuper habeant peritiam Muſicæ, ſeu cantus Gregoriani. *Ibid.c.14.*

6. Inſuper titulum habeant vnde ſufficienter viuere poſſint, qui non ſit minor ſcutis annuis triginta monetæ Siculæ de tar.duodecim pro ſcuto, qui ſit vel Eccleſiaſticum Beneficium, vel penſio, vel patrimonium, quod verè ſit proprium, & pacificè poſſeſſum, non commune cum alijs, aut litigioſum, nec commentitium, aut ſimulatum;

quem,

quem titulũ, nec resignare, nec extinguere, nec grauare, nec permutare, nec alienare possunt absq. nostra speciali licentia, & legitimè constito, quod ordinatus ad illum aliundè habeat, quo se honestè sustentare valeat. Quod si aliquod patrimonium in censu bullali consistat, & hoc restitui contigerit, decreto Synodali fel. record. Fratris Michaelis Balaguer Prædecessoris nostri inhærentes, mandamus, restitutionem prædictam non nisi præsente nostro Vicario Generali fieri posse, & pecuniam penès arcam depositorum nostræ Magnæ Curiæ conseruari, donec in emptione similis census, cum interuentu eiusdem nostri Vicarij Generalis, inuestiri possit; declarantes nullum, & irritum quidquid in contrarium fiet. Qui autem ad Sacros Ordines dolosè confictо titulo promoueri curauerint, nouerint se esse ipso iure suspensos.

Vrb. 8. in Bulla, Secretis æternæ 11. Decembris 1624.

7. Et vt fraudes, quæ præcipuè in patrimoniorum titulis constituendis committi solent, ab hac nostra Dioecesi arceamus; huiusmodi patrimonia constituentes iurare in actis nostræ Mag. Curiæ Ecclesiasticæ volumus, constitutiones, quas faciunt, esse veras, & reales, nullamque inter ipsos, & ordinandum collusionem intercedere; poenam insuper excommunicationis ipso facto incurrendæ contra peierantes decernimus.

Alie-

8. Alienæ Dioecesis ad Ordines nouerint Nos non esse admissuros, nisi dimissoriales literas, per sex ad summum menses ante subscriptas, atque authentico sigillo munitas, à suo Ordinario attulerint; nec absentibus laicis, seù Clericis originaliter Nobis subiectis dimissorias literas concessuros, nisi de eorum vitæ honestate per literas Episcopi domicilij (cæterisque conditionibus interuenientibus circa patrimonium) Nobis constiterit. *Trid. sess. 23. de reform. c.8.*

9. Tandem, vt ad singulos maiores Ordines assumendi seriò recogitare valeant, quantæ virtutis esse debeant qui diuinis his mysterijs initiantur, propriamque vocationem ad tàm excellentem statum sedulò examinare; per decem, vel octo ad minùs dies in secessum ante ordinationem apud Patres Congregationis Oratorij Sancti Philippi Nerij, vel ad alium Religiosum locum à Nobis designandum, sese conferant, vt salutaribus meditationibus, Sacrarumque Cœremoniarum exercitationibus ad hoc Sacramentum suscipiendum, & ritè exercendum, diligenter instrui possint.

CAPVT IX.

De Sacramento Matrimonij.

1. MAtrimonij reuerentiam, ac religionem Christus Dominus commendauit, illud Sacramenti dignitate decorando, & vt manifestum suæ cum Ecclesia desponsationis, ac indiuisibilis coniunctionis signum, & documentum, relinquendo; hinc meritò ab Apostolo magnum in Christo, & in Ecclesia Sacramentum nuncupatur.

Ad Ephes. cap. 5.

2. Vt igitur tantum Sacramentum piè, ac religiosè tractetur, sedulò curent Parochi, vt fideles à se matrimonio iungendos, ad huius Sacramenti fructus assequendos religiosa animi preparatione se disponant.

Trid. sess. 24. cap. 1. de reform.

3. Et vt futuri matrimonij impedimenta, si quæ fuerint, faciliùs patefieri, & deferri possint, publicæ denunciationes, à Sacro Tridentino Concilio præscriptæ, tribus continuis diebus festiuis de præcepto inter Missarum solemnia, inter quos matrimonium sit contrahendum, in Ecclesia etiã vtriusque (si diuersæ Parochiæ sint Contrahentes) à Parocho fiant: nec quauis ex causa, quantumuis grauissima, absque nostra dispensatione in scriptis

ptis

ptis concedenda, omittantur, siue minuantur. Quod si matrimonium celebretur non absolutè, remissis omnibus, aut aliquibus denunciationibus, publicare tamen debeant immediatè subsequentibus diebus festiuis, præmonitis Coniugibus, vt interim à copula omninò abstineant.

4. Numquàm autem nuptijs celebrandis Parochi intersint, si in diuersis Parochijs Contrahentes inhabitent, quin priùs denunciationes ab altero etiam Parocho ritè factas fuisse, nullumque inde detectum impedimentum, sibi ipsis per attestationem ab illo subscriptam constiterit.

5. Antequam ad præfatas denunciationes Parochi deueniant, diligenti examine contrahentium qualitates explorent; an scilicet legitimæ sint ætatis, vt vir saltem decimum quartum, mulier verò duodecimum annum expleuerit; an in mysteriis Fidei sint sufficienter instructi; an inter eos aliquod intercedat canonicum impedimentum, quominùs matrimonium contrahere valeant: insuper exquirent, an spontè, ac liberè, nullisq. parentum, vel aliorũ minis, siue seductionibus coacti assenserint; & ab ipsismet Sponsis seorsim faciendarum denunciationum assensum excipient.

6. Vt canonica impedimenta, quæ matrimonium contrahendum impediunt, & contractum dirimunt, à populis denunciari possint,

curent Parochi bis ſaltem in anno, in feſto ſcilicet Epiphaniæ Domini, & Dominica in Albis, infra Miſſarum ſolemnia prædicta impedimenta populo explicare.

7. Si autem in publicatione denunciationũ, vel poſt, aliquod impedimentum detegatur, ſiue illud ſit manifeſtum, ſiue dubium, ſiue verum, ſiue falſum, ad vlteriores denunciationes, & matrimonij celebrationem, Nobis inconſultis, non procedant. Verum qui falſum aliquod impedimentum malitioſè detulerint, præter poenas falſi à legibus inflictas, excommunicationis ſententiam eò ipsò incurrant, quam etiam extendimus contra eos, qui vera ſcientes impedimenta, poſt denunciationes in Eccleſia factas, illa non reuelauerint.

8. Præmiſſis denunciationibus, ad matrimonij celebrationem non deueniatur ſtatim vltima denunciatione peracta, ſed ſaltem duorum dierum interiecto ſpatio, vt detur vnicuique aditus de impedimentis cogitandi, illaque detegendi, nec vltra duos menſes differatur; quibus elapſis, & matrimonio in faciem Eccleſiæ non celebrato, trinæ denunciationes, niſi aliter Nobis viſum fuerit, denuò repetantur.

9. Quoniam ex frequenti ſponſorum conſuetudine, ante ſolemnem matrimonij contractum, ex deprauatis hominum moribus ſæpè ſcan-

ſcandala, quin imò etiam, quod peſſimum eſt, copula inter ſponſos emanare conſueuit; propterea antequam ſponſi matrimonium per verba de præſenti contraxerint, ab huiuſmodi frequentioribus viſitationibus abſtineant: vt autem modeſtè vrbanitatis officium explere poſſint, ad modicum tempus conuerſari permittimus, parentibus tamen, aut duobus eorum conſanguineis ſemper præſentibus, ſub pœna vnc. viginti p. g. & in ſubſidium, excommunicationis, per quemlibet contrauenientium incurrendæ; quod ſi ante matrimonij celebrationem ſe carnaliter cognoſcere, aut licentia pene maritali cum ſcandalo cohabitare, vel ſub eodem tecto pernoctare auſi fuerint, pœna vnc. quadraginta, & in ſubſidium, excommunicationis, punientur.

10. Nullo detecto impedimento, à proprio Parocho, ſeù alio Sacerdote de ipſius licentia, procedatur ad matrimonij celebrationem ad formam Sac. Concil. Trid. & Ritualis Romani, non in priuatis ædibus, ſed in ipſa Eccleſia, neque à prandio, ſed manè, duobus, aut tribus teſtibus adhibitis, & eodem tempore Sacrum proprium de Sponſis ex Miſſali Romano celebretur, cui interſint, & ſacramentali priùs Confeſſione expiati, ac Sacra Communione refecti, Sacerdotalem benedictionem Sponſi recipient, quæ tamen eſt deneganda tranſeuntibus ad ſecunda vota, niſi *Clem. vlt. § ſi de clandeſtin. deſp.*

ſpon-

ſponſa aliud matrimonium non contraxerit. Quoad vagos autem ſeruetur inſtructio Sancti Officij.

C. nõ oportet, & trib. ſeq. 33. q. 4. Trid. ſeſſ. 24. c. 10.

11. Nuptiarum ſolemnitates ab Aduentu Domini vſque ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum vſque ad Octauam Paſchatis incluſiuè, ſub poena interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrendi, minimè celebrentur: Cætera verò omnia, quæ ad legitimam matrimonij celebrationem pertinent, ab Oecumenica Tridentina Synodo præſcripta, exactiſſimè expleantur.

12. Peracta Sacramenti adminiſtratione, immediatè Parochi omnes referant in libro, ad hunc effectũ dumtaxat compaginato, nomina, & cognomina Coniugum, & teſtium, cum mentione denunciationum, ſiue legitimæ facultatis obtentæ ſi omiſſæ fuerint, ipſiuſque matrimonij celebrationis dies, locus, menſis, & annus; inſuper ſubſtitutio alterius Sacerdotis, qui de Parochi licentia matrimonio interfuit.

13. Coniuges, qui abſque legitima cauſa à Sacris Canonibus permiſſa, ac coram Nobis probata, ab indiuidua maritalis vitæ conſuetudine, & à communi cohabitatione diſceſſerint, aut ſe à coniugali thoro ſeparauerint, curent Parochi, vt ad priſtinam vitæ ſocietatem reuertantur;

quod

quod si contumaces fuerint, ad Nos deferant, vt pro excessus grauitate puniri possint.

14. Vt detestandum adulterij crimen, diuinæ indignationis flagella prouocans, è nostra Dioecesi euellatur, coniuges, qui impudicam vitam duxerint, grauissimis pœnis carceris, fustigationis, exilij, alijsque Nobis arbitrarijs, pro delicti grauitate punientur; eisdemque pœnis afficietur vir, qui propriam vxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipsa prostituerit, seù induxerit ad palàm adulteria exercenda; & concubinarij omnes, cuiuscunque status, dignitatis, & conditionis existant; qui si à Nobis tèr admoniti non resipuerint, excommunicatione ferientur, à qua, donec re ipsa admonitioni factæ non paruerint, non absoluentur.


PARS

PARS TERTIA.

DE CVLTV DIVINO.

CAPVT PRIMVM.

De Sacrosanctis Ecclesijs, Cœmeterijs, eorumque cultu, & immunitate.

1. OMVM Dei, in qua Diuina Maiestas, quam Cœli capere non possunt, cum hominibus inhabitans liberaliùs cælestia beneficia fidelibus largitur, non solum decet sanctitudo, sed etiam decor; ideo omni cultu, ornatuque, ac decore, sicut Sponsa ornata viro suo, enitere debet, & ne deprauatis consuetudinibus, perditisque hominum moribus efficiatur spelunca latronum, inuigilandum est.

Psal.92. Apoc.6.21.

2. Propterea nullæ construantur de nouo Ecclesiæ, Oratoria, Capellæ, vel Altaria, nisi congrua assignata dote pro illarum manutentione, ac Rectoris substentatione, obtenta priùs à Nobis facultate in scriptis concedenda. In Ecclesijs verò, Oratorijs, seù Cappellis iam extructis, & nostræ iurisdictioni subiectis, nihil magni momenti

C.nemo, & C. placuit de consecr. d.1.

menti

menti, sine nostra expressa licentia destrui, reædificari, innouari, aut impendi pro eorum seruitio vltrà scuta quinque currentis monetæ, mandamus, exceptis tamen expensis solitis, & consuetis, sub poena vnc. quinque, aliisque arbitrio nostro imponendis.

3. Ecclesiæ, quæ temporum iniuria aliqua ex parte collapsæ fuerint, iuxtà competentes facultates infra annum à præsentis Constitutionis publicatione, reparentur; aliàs contra earumdem Ecclesiarum Rectores, prout iuris est, exactissimè procedetur; si tamen ita dirutæ, & derelictæ sint, nec facultates suppetant, vt reparari possint, profanis vsibus nunquam deseruiant, sed ad perpetuam Ecclesiæ iam ibi ædificatæ memoriam, nostro præuio consensu, Crucis signum collocetur.

Trid. sess. 7. c. 8. & sess. 22. de reform. c. 7.

4. In Ecclesijs, vt veræ Domus orationis dicantur, seditiones, clamores, tumultus, & violentiæ non committantur; risus immoderatus, vana, fœda, & profana colloquia non introducantur, præcipuè dum celebrantur diuina Officia, & verbum Dei prædicatur; inhonesti actus, turpiaque signa cum mulieribus impudicis non emittantur, sed omni religionis cultu debitus deferatur honos, & reuerentia. Quicunque verso tergo ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum irreuerenter sedere, aut aliquod, quod

scandalum generet, aut diuina perturbet Officia, facere præsumpserint, pœnis à Constit. B. Pij V. sancitis, alijsque Nobis arbitrarijs, pro personarum ratione, & delicti grauitate, punientur.

B. Pij V. Const. 5.

5. Ecclesiarum Rectores sedulò studeant, vt tàm foris, quàm intus, parietes, omnesque aliæ Ecclesiæ partes ab omnibus immunditijs expurgatæ, atque emundatæ conseruentur, octauo quolibet die diligenter verrantur, & in solemnioribus festis, ac semel in mense ab aranearum telis expurgentur. Pariter curent, vt tota ecclesiastica supellex, vasa, & ornamenta armarijs congruentibus dispertita, diligenter in Sacristia asseruentur, ac mundissimè custodiantur, & cum opus fuerit instaurentur, aut renouentur: quod si in hoc negligentes fuerint, pœnis arbitrio nostro infligendis punientur.

6. Commessationes, cum irreuerentia loci sacri, nullo vnquam tempore sub quouis prætextu, in ipsis Ecclesijs, seù Oratorijs habeantur.

Ead. Const. B. Pij V.

C. Epis. 13. Iul. 1603.

7. Pauperes mendicantes ad quæstum diuagari per Ecclesiam, maximè tempore Missarum, Concionum, aliorumque diuinorum Officiorum, interdicimus; sed eos in foribus Ecclesiæ permanere volumus: Infideles pariter Ecclesiam ingredi omninò vetamus.

8. Ecclesiarum fores sub occasum Solis omninò

ninò claudantur, & ſub auroram aperiantur, nec vnquam de nocte referentur, niſi pro Sacramentis adminiſtrandis vrgente neceſſitate.

9. Altaria lapidea ſint, nullum habeant vacuum, vt quid minimum ſub illis recondi poſſit, & ſi tota conſecrata non fuerint, ponatur ara, ſiue altariolum paruum lapideum, capax continendi non ſolum Calicem cum patena, ſed etiam Pixidem, ità cum Altaris planitie peraptatum, vt nulla rimula intercedat, aliquantulum tamen emineat ſupra menſam, vt tactu à Celebrante dignoſci poſſit; ſintque benè prouiſa de ſuis neceſſarijs, ſcilicet mappis, candelabris, Cruce, etiamſi in Icone ſit Imago Sanctiſſimi Crucifixi, tabella ſecretarum orationum, Euangelio Sancti Ioannis, pallijs diuerſorum colorum pro temporum varietatibus, tela ſtragula ad operiendam menſàm poſt Miſſæ celebrationem, vt à puluere, & ſordibus faciliùs defendantur; necnon & ſub pedaneo ligneo, vel lapideo, & à latere Epiſtolæ cuiuslibet Altaris, candelabrum grandius, ſiue ligneum, ornatè depictum, ſiue ex auricalco extructum, locetur, cui intorticium in eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti imponatur; quæ omnia infra duos menſes, à præſentium Conſtitutionum publicatione computandos, fiant, ſub poena priuationis patronatus Altarium, ſi patronata fuerint, alijſq. Nobis arbitrarijs, à contumacibus incurrēdis.

C. Immunit. 2. Maij 1629. 10. Occisorum cadauera sine nostra licentia non exhumentur, nec intus Ecclesiam recognoscantur.

11. Cœmeteria religiosè custodiantur, sintque muro circumdata, & occlusa, vt animalibus non pateat ingressus, in quorum medio Crux decentis magnitudinis erigatur, nec in ea bestiæ pro fœno, & herba depascenda introducantur sub pœna vnc. vnius, beneficio Ecclesiæ applicandæ.

Tot. tit. de Immunit. Eccles. 12. Immunitas denique Ecclesiæ, ac locis Sacris debita, inuiolatè seruetur, Reique ad illa confugientes, quamuis grauia delicta commiserint, nec directè, nec indirectè, siue per vim expulsiuam, siue compulsiuam, nec subdolis, vel blandis verbis ab eisdem extrahi possint; & si de facto extrahantur, de facto restitui debeant, sub pœna excommunicationis statim incurrendæ Summo Pontifici reseruatæ, à qua absolutio haberi nequeat, nisi reintegrata Ecclesia, & refectis damnis, & interesse, vltra alias pœnas à Sacris Canonibus, alijsque Generalium Conciliorum, Summorumq. Pontificum Constitutionibus hactenùs ptomulgatas; nisi tamen delinquentes ex ijs fuerint, quibus ex Const. Greg. XV. immunitas Ecclesiæ non suffragetur. *Greg. XV. Constit. 7. §.8.*

C A-

CAPVT II.

De rebus Ecclesiæ conseruandis, earumque recta administratione.

1. NE sacrilego ambitiosæ cupiditatis ausu bona Ecclesiarum, Iura, res, & actiones illicitis medijs vsurpentur, indebitaque occupatione retineantur, nouerint omnes, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, qui Ecclesiastica, & piorum locorum bona vsurpare, retinere, in proprios vsus conuertere, vel ne percipiantur ab ijs, ad quos de iure pertinent, impedire ausi fuerint, poenam excommunicationis Sanctæ Sedi reseruatam incurrere.

Conc. Trid. sess. 22. cap. 11.

Bulla in Cæn. Dom. §. 17.

2. Ad euitandum igitur, ne in posterùm bona Ecclesiastica, eiusque redditus vsurpentur, statuimus, vt Capitulum nostræ Cathedralis Ecclesiæ, omniumque aliarum Ecclesiarum, Hospitalium, Monialium, Confraternitatum, aliorumque locorum piorum regimen, & administrationem habentes, necnon & singuli Dignitates, Canonicatus, & Ecclesiastica beneficia, etiã de Iurepatronatus, possidentes, vt infra menses sex à præsentis Constitutionis publicatione, & post adeptam possessionem, & alij, qui in futurum

rum beneficia obtinebunt, omnium bonorum immobilium, cum suis confinijs, Iurium, actionum, annuorum censuum, redditu um, decimarum, nominum debitorum, & aliorum quorumcumque ad eorum Ecclesias, loca pia, ac beneficia pertinentium, Catalogum conficere, & infra idem tempus publicum exemplar in Cancellaria nostra ad perpetuã rei memoriam exhibere, aliudque pro Ecclesia propria conseruare, teneãtur, sub poena vnciarũ decem à contrauentoribus soluenda, alijsque arbitrio nostro infligendis.

3. Domos, & quæuis alia Ecclesiæ ædificia, in totum, vel in partem destruere nemo audeat; imò illa corruentia, vel reparatione egentia, reparari, restaurari, & secundum necessitatem reparata conseruari, mandamus, & iubemus: Negligentes verò, siue delinquentes, per fructuum subtractionem ad iustam, necessariamque restaurationem, se à Nobis legitimè compellendos sciant.

Extrau. ambitios. de reb. Eccles. non alien.

4. Bona Ecclesiæ, & locorum piorum sine causis, & solemnitatibus à Iure requisitis, & sine Sedis Apostolicæ beneplacito legitimè obtento, debitæq. executioni demandato, nemo vendere, alienare, permutare, aut ad emphyteusim concedere audeat, præterquàm in casibus à Iure permissis, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, Sanctæ Sedi reseruatæ, ac nullitatis contractus:

5. Terrulas verò exigui valoris Ecclesiæ inutiles, causa à Nobis priùs cognita, euidentique Ecclesiæ vtilitate comperta, & facultate in scriptis à Nobis obtenta, alienari permittimus: locationes anticipatis solutionibus non celebrentur, & in præiudicium successorum ità inualidè remaneant, vt tractu temporis conualidari nequeant, nisi notoria Ecclesiæ necessitate vrgente à Nobis permissum fuerit.

6. Nulli conductori piorum locorum bona locentur, nisi idoneum fideiussorem dederit, qui se insolidùm obliget, & si is inueniri nequeat, ad Nos habeatur recursus, vt indemnitati Ecclesiæ consulere possimus.

7. Bona, quæ perpetuum Missarum onus annexum habent, alienari, permutari, seù subrogari in alia stabilia non possint, nisi cum eiusdem oneris expressione, ac repetitione, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrendi. *C. Concilij decret. de celeb. Missar. 21. Iunij 1625.*

8. Imminente alicuius Rectoris, aut Parochi obitu, nemo Ecclesiæ supellectilem, bona, Iura, aut scripturas quomodocunque subripere, occupare, occultare, vsurpare, aut asportare præsumat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

9. Omnes, & singuli Administratores Ecclesiarum, & quorumcunque piorum locorum, & Oeconomi legatorum ad pias causas, iuxtà Sacri Con- *Con. Trid. sess. 22. c. 9.*

Concilij Tridentini præscriptum, singulis annis eorum administrationis rationẽ Nobis reddant, sub poena vnc.quinque,piis operibus applican; & sub fine cuiuslibet mensis impensas, pro seruitio dictorum piorum locorum factas, in libro, ad hunc specialem effectum præparatum adnotare teneantur, quas cum approbauerit Parochus,in calce se subscribat.

10. Eleemosynæ, & alia quæcunque Ecclesiis oblata,statim ipsa die, sin minùs quamprimùm fieri poterit, cum nota qualitatis, & quantitatis, ac nominis, & cognominis offerentis, ab administratoribus adnotentur, sub poena vnc. duarum, aliisque Nobis arbitrariis.

11. Quæcunque pecuniarum summæ Ecclesiis, beneficiis,aut aliis locis piis, & legatis ad pias causas, cum onere reinuestiendi,spectantes,curent administratores, & Oeconomi omnem diligentiam adhibere, præuio nostro, aut Parochi consensu, vt in bonis stabilibus, aut censibus securis, & exigibilibus,cum sufficienti cautione, aliisque cautelis necessariis,inuestiantur. Si quis verò huiusmodi pecunias in proprios vsus conuerterit, aut in euidens, seù verisimile Ecclesiæ,lociuè pij, & pii legati periculum reinuestiendas curauerit, de euictione teneatur,& in excommunicationem ipso facto incurrat.

Vt

12. Vt piæ Teſtatorum mentes debitæ executioni demandentur, volumus, & diſtrictè præcipimus omnibus, & ſingulis Notarijs, vt infra duos menſes à die obitus Teſtatoris, omnia pia legata pro celebratione Miſſarum, ſeù Eccleſijs, alijſque pijs locis relicta, noſtræ Curiæ Epiſcopali denuncient, ſub pœna excommunicationis incurrendæ.

CAPVT III.

De Celebratione Diuinorum Officiorum.

1. Diuina Officia maxima animi pietate, deuoto cordis affectu, ac mentis intentione, ad promerenda Dei beneficia, iuſtumque Dei iudicium vitandum, perſoluenda ſunt: pſallere enim ſpiritu, & mente, & non tantùm labijs, ad debitum Deo honorem præſtandum oportet. *1. ad Cor. 14. v. 15.*

2. Omnes igitur, qui Eccleſiaſtico Iure ratione Sacrorum Ordinum, ſiue Beneficiorum, quibus prouiſi reperiuntur, ad diuinum Officium recitandum tenentur, iuxtà Breuiarij Romani rubricas Canonicas Horas ſtudioſè, ac deuotè perſol- *C. quia per ambitioſam de reſcript. in 6.*

ſoluere curent; nulla prætereà ritus mutatio introducatur, ſed forma in Bullis Breuiarij Beati Pij V. & Vrbani VIII. præſcripta, omninò ſeruetur.

3. Beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, legitimè non impediti, ſi Diuinum Officium recitare neglexerint, vltra reatum lethalis culpæ, pro rata temporis, & omiſſionis Officij fructus ſuos non faciant, ſed eos, tanquàm iniuſtè perceptos, reſtituere, ſeu in pauperum eleemoſynam, aut Eccleſiæ fabricam erogare teneantur, ex decretis Concilij Lateranenſis, & Beati Pij V. Ad huiuſmodi reſtitutionem tenentur pariter, qui penſiones, aut fructus ex Beneficijs Eccleſiaſticis percipiunt, licet Officium paruum B.M. Virginis tantùm ex eadem Beati Pij V. Conſtitutione recitare teneantur.

Conc. Lateran. ſeſſ. 9. de refor. §. ſtatuimus ſub Iulio II. & Leone X. B. Pius V. Conſt. 135.

4. Officia à Sancta Sede non approbata non recitentur, cum per illarum recitationem muneri Diuinum Officium recitandi non ſatisfiat; nec feſta Kalendarij Romani ad nobiliorem ritum, vt à ſemiduplici ad duplicem, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ eleuentur.

5. In Choro, dum Diuina Officia celebrantur, Sacerdotes omnes, & Clerici ſuperpelliceo induti adſint, à vanis colloquiis abſtineant, literas non legant, nec quid aliud ad Diuinum Officium non pertinens peragant, & Laicis Chorum ingredi

di non permittant; ſed omnes ea, qua decet grauitate, attentione, ac deuotione pſallant, preceſque, pauſa decenti in medio verſiculi pſalmorum interiecta, modulantes, penſum ſuæ ſeruitutis piè, ac religiosè perſoluant.

6. Sacerdotes omnes, & Clerici in Sacris, ſeu in minoribus conſtituti, quolibet die feſto in propria Parochia ad Miſſam, & Veſperas decantandas conuenire teneantur; ſi quis autem in Sacris, aut minoribus conſtitutus, à ſeruitio Eccleſiæ, cui reperitur adſcriptus, defecerit, nec ſe in Ordinem ſuſcepto exercuerit, ad ſuperiorem Ordinem nouerit ſe à Nobis non eſſe promouendum.

7. Vt in omnibus Eccleſijs noſtræ Dioœceſis idem ab omnibus Ordo ſeruetur, & iuxta Kalendarium Horæ Canonicæ recitentur, mandamus ſingulis annis imprimi Kalendarium expenſis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, impreſſumque omnes à Cœremoniarum Magiſtro, vel ab alia perſona à Nobis deputanda, teneantur accipere, certa mercede pro eius impreſſione perſoluta.

CAPVT IV.

De Funeribus, & Sepulturis.

1. ad Corin. c. 15. v. 53.

1. FVneris, & Sepulturæ officio, quo ex antiquissima traditione, & Summorum Pontificum sanctionibus pia Mater Ecclesia vti solet, nedum corruptibile, & mortale corpus, incorruptibilitate, ac immortalitate induendum, in solatium viuorum honoratur, sed tanquàm Christianæ pietatis, ac Religionis suffragio, salubritèr defunctorum animæ adiuuantur. Vt igitur pristina Catholicæ disciplinæ ratione funera persoluantur, ritus, ac Sacras cœremonias à Rituali Romano præscriptas, Parochi summo studio seruent.

C. Episc. 5. Maij, & 17 Sept. 1617.

2. Mortuorum corpora ante Solis ortum, & post occasum, sine nostra speciali licentia, ad Ecclesiam non efferantur, nec sub quouis prætextu, etiam Iuris sepulturæ, compositionis quartæ funeralis, seù cuiusuis alterius controuersiæ, humari retardentur, & nonnisi duodecima elapsa hora, & vigesima quarta quoad illos, qui repentino morbo decesserint, sepulturæ tradantur; præuia tamen nostra, seù nostri Vicarij Genera-

lis

lis licentia in ſcriptis concedenda, ſi ſine Sacramentis deceſſiſſe contigerit.

3. Pauperum, & miſerabilium cadauera, qui exequiarum expenſas vnde faciant non habent, gratis, imò ſuis ſumptibus à Parochis ſepeliantur, niſi ab aliqua pia Sodalitate huiuſmodi Chriſtianæ pietatis officium conſueuerit exerceri; & cum æquum ſit charitatis officia in illos magis oſtendere, fidelium eleemoſynis, ac Miſſarum ſuffragijs proſequi curent. *Eadem 5. Maij 1617 in Caſſan.*

4. Noua ſepultura, ſine ſpeciali noſtra, aut noſtri Vicarij Generalis licentia, non ædificetur, neque propè, aut ſub Altaribus extruatur; ſi quæ tamen præfatis locis extructa iam fuerit, amotis priùs oſſibus, ac cineribus, repleatur; & interim donec aliò prædicta oſſa, & cineres non transferantur, in prædictis Altaribus non celebretur. *C. præcipiēdum 13. q. 2*

5. In omnibus Eccleſijs Parochialibus, in quibus non adſunt ſepulchrum ſeorſim pro Eccleſiaſticis, aliudque pro paruulis ante ſeptennium cum baptiſmo decedentibus, ab alijs ſeparata extruantur.

6. Sepultura ab omnibus eligi poſſit, etiam in Eccleſijs Regularium, reſeruatis Iuribus Parochialibus; & cum eius electio ſit libera, caueant quicunque Clerici, ſiue Seculares, ſiue Regulares, ne quemquam vllo modo inducant ad eligendam *Cap. 1. De ſepult. in 6.*

gendam sepulturam in eorum Ecclesia, vel iam electam immutandam, sub poenis in sacra Sanctione contentis; quod si secùs factum fuerit, electio ipsa irrita erit, & eligentis cadauer in ea Ecclesia erit humandum, in qua de iure, si sepulturam non elegisset. Propterea ne reddatur electio suggestiua, infirmus, in genere, & non in specie, in qua Ecclesia sepeliri maluerit, interrogetur.

7. Ad funus accersiti, omnes Ecclesiastici, siue Seculares, siue Regulares, aliæquè Laicorum Confraternitates, ad Parochialem defuncti conueniant, non tamen expectent per viam, vel ad domum defuncti, à qua ad Ecclesiam, vbi sepeliendus est, per viam à Parocho declarandam, ea, qua decet deuotione, & modestia, progrediantur.

8. Quoad quartam funeralem Nobis, & Capitulo nostræ Cathedralis Ecclesiæ debitam, mandamus seruari antiquam consuetudinem huius nostræ Dioecesis, & Constitutionem Synodalem fel. record. Fratris Lucæ Boni nostri Prædecessoris; videlicet, spectare candelas, & faces non solum diei funeris, sed quas etiam sequenti, vel alio die pro maiori exequiarum pompa deferri contigerit.

9. Ne inutilibus expensis bona Confraternitatum

tatum Agonizantium, in omnibus ferè Parochialibus Ecclesijs nostræ Dioecesis existentium, dissipentur, in funere, & exequijs Sodalium plura, quàm quatuor intortitia accendi prohibemus.

10. Nullus in locis nostræ Iurisdictioni subiectis Vespillonis officio fungatur, absque nostra, aut nostri Vicarij Generalis licentia.

11. Nemo siuè Secularis, siuè Regularis audeat in sua Ecclesia, siuè Coemeterio, sepelire aliquem ex ijs, quibus à Sacris Canonibus,& Summorum Pontificum Constitutionibus est deneganda sepultura, sub poenis in eisdem contentis.

Huiusmodi autem sunt.

Excommunicati notoriè, & denunciati, nisi in articulo mortis poenitentiæ signa dedissent, & similiter notoriè interdicti, & denunciati.

Publici, & manifesti Vsurarij, nisi alienum restituerint,vel idoneam cautionem de restituendo præstiterint.

Infideles, Pagani,Iudæi, Hæretici,etiamsi post mortem appareret de hæresi.

Manifesti raptores, nisi restitutione secuta; vel alius velit pro illis restituere.

Decedentes in torneamentis, seu duello,etiamsi poenitentiæ signa dederint; si verò delictum

non

non ſit notorium, ſed tantùm eos in duello mortuos fuiſſe publicè conſtet, res ad Nos deferatur, vt peropportunè quid expediat declarari valeat.

Qui ſemel in anno confiteri,& Euchariſtiæ Sacramentum in Paſchate ſumere notoriè intermiſerint, niſi de conſilio Sacerdotis prorogaſſent.

Religioſi vtriuſque ſexus proprietarij, ſi moniti à Superiore, abſque emendatione, & pœnitentia deceſſerint.

Quilibet peccator notorius in ipſo peccato mortali decedens impœnitens, nullo dato ſigno contritionis.

Occidens ſeipſum ex induſtria, non tamen ſi ex furore, aut inſania.

Blaſphemantes publicè Deum, ſi pœnitentiam eis iniunctam non egerint.

Clerici notoriè concubinarij, perſeuerantes vſque ad mortem ſine pœnitentia.

Non reſtituentes decimas Eccleſiæ.

CA-

CAPVT V.

De Processionibus, & ad eas obligatis.

1. PRocessionum vsus,à Catholica Ecclesia à primæuis vsque temporibus receptus, & in hunc vsque diem laudabiliter retentus, cum ad Diuini Iudicis iram placandam, cælestiaque beneficia obtinenda Christi fidelibus sit valdè proficuus; propterea solemnes processiones in hac nostra Diœcesi ex antiqua incolarum pietate institutas, qua decet deuotione, ac modestia, celebrari sedulò curare debemus.

2. Ad euitanda igitur scandala,quæ ex morum deprauatione suboriri possunt, prohibemus, & omninò interdicimus,ne processiones vllę fiant nocturno tempore, sub pœna interdicti, alijsque Nobis arbitrarijs.

3. Nouas processiones, siue publicas,siue priuatas, absque nostra, seù Vicarij nostri Generalis licentia, instituì vetamus.

4. Ad processiones publicas generales consuetas, aut pro bono publico, aut alia emergenti necessitate indictas, accedere teneantur Clerici omnes tàm in minoribus, quàm in Sacris Ordi-

nibus constituti, talari veste, mundisque superpelliceis induti, cum bireto in capite, (quo tamen vti non debent in associatione, & processione Sanctissimi Sacramenti) sub pœna vnc.duarum pro qualibet vice, alijsque arbitrio nostro pro modo contumaciæ irrogandis. Eisdem interesse pariter debent, iuxtà Sacri Concilij Tridentini, & Sacræ Congregationis decreta, Regulares omnes, & quarumcunque Societatum, seù Confraternitatum Sodales, talaribus Saccis induti, cum suis Crucibus, & vexillis: Omnes autem incedant bini, & bini, magna cum modestia, grauitate, ac pietatis exemplo, psalmos, hymnos, litanias, aliasque consuetas preces alternatìm concinentes.

Con. Trid. sess. 25. c. 13 de Regul. S. Con. Concil. in Interamnen. 18. Aug. 1663.

5. Si quæ autem de præcedentia controuersiæ, quæ persæpè scandalum pariunt, intempestiuè exoriantur, eas omnes statim ad Nos deferant, vt ad præscriptum S. Concil. Trident. illas componere valeamus.

Conc. Trid. loc. cit.

6. Ecclesiastici omnes, tàm Seculares, quàm Regulares extra Vrbes degentes, ex Constitutione Synodali fel. record. Fratris Michaelis Balaguer, aliorumque nostrorum Prædecessorum, meminerint se ad interessendum teneri in processione Sanctissimi Corporis Christi in nostra Cathedrali Ecclesia: In processione verò, quæ eodem die fit in Ciuitate Victoriosa, & die Do-

minico

minico infra octauam in Parochiali Ecclesia Sancti Pauli Ciuitatis Vallettæ, Clerici omnes, & Sacerdotes earundem Ciuitatum in suis Ecclesijs respectiuè conueniant, sub poena vnciæ vnius à contumacibus soluendæ, sub qua etiam poena adesse teneantur Clerici omnes totius Insulæ, tàm in maioribus, quàm in minoribus constituti, in processione, quæ in Festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli in nostra Cathedrali Ecclesia post primam peragitur; qui etiam & in Festo Conuersionis Sancti Pauli conueniant, exceptis ijs, qui Ecclesijs Ciuitatum Vallettæ, Victoriosæ, Sengleæ, ac Burmulæ reperiuntur adscripti.

7. Vt generalis processio, quæ ex perantiquo nostræ Dioecesis voto die duodecimo Martij in Festo Sancti Gregorij Pagi Zeitun fuit instituta, qua decet modestia, & ordine, tàm à Clero, quàm à Populo nostræ curæ commissis, peragatur: omnes, qui eidem interesse tenentur, in Casali Paula conueniant, & ibi expectato nostræ Cathedralis Capitulo, ad præfatam Ecclesiam nonnisi lecto, promulgatoque solito edicto, & vocatis singularum Parochialium processionibus, dirigantur; Curent autem Parochi, vt omnes Clerici, & Sacerdotes eorum curæ subiecti intersint, & quos nouerint contumaces ad Nos deferant; moneantque populos, vt deuotè, ac reli-

giosè processionem comitentur, & ab intemperantiæ illecebris, comessationibus, & ebrietatibus, ex hominum deprauata consuetudine introductis, quibus nedùm diuina beneficia retardantur, sed ira Dei prouocatur, omninò abstineant.

8. Feria quinta in Coena Domini Clerici omnes in maioribus Ordinibus constituti, & Sacerdotes extrà Vrbes degentes, exceptis Parochis, & ijs, qui sunt à Confessionibus, ad nostram Cathedralem Ecclesiam, Sacram Communionem de manibus nostris percepturi, conueniant, sub poena vnc. vnius pijs operibus applican. Qui autem legitimè impediti accedere non valent, illam de manu Parochi in Missa solemni percipiant.

4. Ad conseruandam, augendamque laudabilem consuetudinem, in Parochialibus nostræ Dioecesis introductam, processionem faciendi tertia Dominica cuiuslibet mensis cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, præcipimus omnibus & singulis Clericis cuiuslibet Parochiæ, tàm in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus constitutis, sub poena tar. duodecim, vt ad illam talari habitu, & superpelliceo induti conueniant.

CAPVT VI.

De pauperum Puellarum maritagijs.

1. NOstri paſtoralis officij ratio poſtulat, vt nihil, quod ad debitam executionem piarum diſpoſitionum ad Dei cultum, pauperumque puellarum maritagia pertinere poſſit, prætermittamus, ne piæ fidelium voluntates aliena malitia, aut incuria debito fruſtrentur effectu, pauperumque puellarum dotes litigijs, ac inutilibus expenſis diſſipentur.

2. Propterea omnibus Oeconomis, adminiſtratoribus, & quibuſcumque alijs dictorum piorum legatorum executoribus præcipimus, & mandamus, ſub poena vnc. decem, alijſque Nobis arbitrarijs, vt adamuſſim fundatorum diſpoſitiones obſeruent.

3. Et cum ex intempeſtiua electione, ac nominatione puellarum ad talia legata aſpirantium, pias diſpoſitiones defraudari ſæpè contingat, decernimus, & mandamus, vt dicta electio, & nominatio ab ijs, ad quos ſpectat, deinceps non fiat, niſi præuijs denunciationibus in Parochiali Eccleſia, & in noſtra Curia Epiſcopali

pali gratis faciendis, præscripto in ijs vnius mensis termino, vt in notitiam omnium in prædictis legatis interesse habentium, & concurrere volentium deueniri possit, & per quadrimestre ante præscriptum desponsationis diem. Quod si plures ad idem legatum maritagij concurrere reperiantur, nisi aliter in limine fundationis legati fuerit cautum, Curiam nostram adeant, vt de opportuno Iuris remedio prouideri possit.

4. Prædictas pariter electiones, & nominationes in legatis annuis, vel alternis, & alijs similibus ante inceptum cursum reddituum puellæ electæ competentium, fieri omninò interdicimus, nisi aliter fuerit à Testatoribus præscriptum; declarantes nullius roboris, & inualidas electiones, & nominationes pauperum puellarum ad prædicta legata, si aliter, quàm in hac nostra Synodali Constitutione disponitur, fiant.

5. Benedictio nuptiarum in Ecclesia, & Altari, ac die à Testatoribus præscriptis, omninò fiat, sub pœna amissionis legati, nisi aliter iustis interuenientibus causis à Nobis dispensatum fuerit.

PARS

PARS QVARTA.

DE ECCLESIASTICIS PERSONIS, Earumque varijs Officijs, & obligationibus.

CAPVT PRIMVM.

De vita, & honestate Clericorum.

1. 
Lericorum probata vita, ac laudabile exemplum, tamquàm lucerna super candelabrum posita, ità cæteris fidelibus prælucet, vt ad pietatem, & Dei cultum viam ostendat, ac perfectam viuendi normam instituat; Ideoque decet omninò Clericos, in beatissimam Domini sortem vocatos, sic vitam, moresque suos componere, vt in omnibus grauitatem, modestiam, ac Religionem præseferant, & tanquam Dei ministros sese exhibeant, ac ab indecenti proximorum offensione, ne vituperetur ministerium nostrum, se abstineant; quod vt faciliùs consequi valeant, hæc præcipuè obseruare teneantur.

Matth. 5.

2. ad Corin. 6.

Sacra-

2. Sacrarum Scripturarum, Cathechiſmi; Ritualis Romani, ac Rubricarum lectioni, & caſuum Conſcientiæ ſtudio, maximè ſi in Sacris Ordinibus conſtituti reperiantur, diligenter incumbant, & Clericalium functionum peritiam, iuxtà Ordinum, quibus ſunt initiati exigentiam, habeant; Eccleſijs, quibus ſunt adſcripti, etiam Clerici coniugati, diligenter inſeruiant, & feſtis præſertim diebus Miſſis ſolemnioribus, ac Veſperarum decantationi, & proceſſionibus interſint.

C. Clericus de vit. & honeſt Cler.

3. Coronam, pro vt ratio cuiuſcunque Ordinis expoſtulat, deferant, comam non nutriant, nec candentibus ferris affectato methodo barbam componant, Sacerdotes verò in ſuperiori labro ità recìdant, vt in Corporis, & Sanguinis Domini ſumptione nullum afferat impedimentum, ſub pœna vnciar. quatuor pijs operibus applican. à contumacibus incurrenda.

Triden. ſeſſ. 14. cap. 6. de reform.

4. Clericorum habitus ſit honeſtus, ac decens propriæ vocationi correſpondens, qui venerationem afferat, & modeſtiam oſtendat, non tamen nimiùm ſordidus, aut lacer, ne Clericalis dignitas vileſcat; In Miſſæ celebratione, & quotieſcunque ſacra alia functio peraganda fuerit, talaris eſſe debet, ſub poena vnc. quatuor, alijſque arbitrio noſtro irrogandis, etiam ſuſpenſionis ab Ordinibus, & priuationis officiorum, & beneficiorum.

Bre-

5. Breuiores vestes vsque ad genua prominentes iter agentibus,& ruri habitantibus,ac minoribus initiatis non interdicimus, dummodò illis induti incedant, non verò super brachio, aut humeris gestent,sub eisdem poenis vnc.quatuor,suspensionis, & priuationis. *C.Episc.18. Octo.1589.*

6. Clerici omnes, & præcipuè Ordinibus sacris insigniti, vilioribus se exercitijs immiscere, & Laicorum obsequijs, seruitijsque, quæ Ecclesiasticam dignitatem non decent, se subijcere non audeant; ab armorum delatione, siue ad offensam, siue ad defensam omninò abstineant,sub poena amissionis eorumdem, ac vnciarum decem irremissibiliter exigenda.Illicitæ venationi non vacent; profanis spectaculis, & præcipuè Comædijs de rebus lasciuis, & amoribus mundanis ad malum, & libidinem prouocantibus,non intersint. *C.Clerici, vt ab Indig.14.q.4.* *C. Clerici arma de vit. & honest.Cleric.* *C.2. in fine de Cler.Venat.* *C.Episc.34. dist.*

7. Comessationes, & ebrietates, & inhonesta extraneorum conuiuia declinent; Cauponas, & tabernas, vti loca intemperantiæ, nisi longi itineris causa,non frequentent; nuptialibus, laicalibusque conuiuijs interesse, cantilenas emittere, fides pulsare, sonos perfundere, choreas ducere, personatos, laruatosque incedere non audeant, sub poena carceris, alijsque Nobis arbitrarijs; Alearum, ac taxillorum ludo, quo interdum ludentium animi à diuinis auocantur, *C. Presbyteri 19.dist.* *C.pro reuerentia 54. dist.* *C. Cler. de vit. & honest.Cler.*

ac redditus Ecclesiastici nefariè profunduntur, non vacent, nec alios in proprijs domibus vacare permittant, sub poena vnciarum duarum pro qualibet vice à contrauentoribus soluen. alijsque arbitrio nostro irrogandis.

C. 1. de vit. & honest. Cleric. *C. interdixit 32. dist.*

8. Cum Clericis per Sacros Canones omninò interdicatur, mulieres, etiam non suspectas, præterquam vsque ad secundum consanguinitatis, vel affinitatis gradum coniunctas, secum retinere; propterea districtè præcipimus, ne vllam mulierem in eorum habitatione sub quouis prætextu, & quocunque titulo, etiam ancillæ, seu famulæ nomine, retineant, nisi tamen prouectæ sit ætatis, & ex qua scandalum suboriri nequeat, sub poena suspensionis incurrendæ: multòque minùs cum suspectis foeminis consortium, & familiaritatem habeant; nec puellas, aut mulieres legere, scribere, canere, fides pulsare doceant, sub poena vnc. duarum.

Tot. tit. ne Clerici, vel Monaci. *C. negotiatio.* *C. Consequens.* *C. eijciens dist. 88.* *C. Clericus dist. 84.* *C. Canonū 14. q. 4. & c.*

9. Mercaturis, alijsque quibuscunque negotiationibus illicitis nullo modo dent operam; vsuris non incumbant; secularia officia, & negotia abijciant; à sordido quæstu, vilique artificio abstineant; aliena prædia, etiam per interpositam personam, ne conducant; operas suas ad arandum, fodiendum, nauigandum, & ad huiusmodi sordida locare nō audeant, sub poenis arbitrio nostro infligendis. Honestam verò nego-

tia-

tiationem neceſſitatis gratia, non verò lucri cupiditate, dummodò diuinus Eccleſiæ cultus non negligatur, permittimus. *Con. Epiſc. 15. Nouēbris 1616.*

10. In cauſis criminalibus in foro ſeculari nullum Clerici ferant teſtimonium, nec in ciuilibus abſque noſtra licentia; multòque minùs querelas, etiam citrà pœnam ſanguinis, proſequantur, nec Procuratoris, Cauſidici, aut Aduocati officium in foro ſeculari abſque noſtra licentia exerceant. *Cap. neque diſt. 88. S. Cyprian 11. q. 3.*

11. Abſque noſtra licentia à Diœceſi nemo ex Sacerdotibus diſcedere audeat, ſub pœna ſuſpenſionis, alijſque Nobis arbitrarijs.

12. Vt exteriori corporis cultui, & decori correſpondeat interior cordis munditia, & affectus, curent Sacerdotes omnes in noſtra Diœceſi exiſtentes, ſaltem diebus Dominicis, ac feſtis ſolemnioribus, Sacrum deuotè peragere; cæteris verò diebus pro cuiuſque diſpoſitione. Qui ad diuinum Officium recitandum, ſiue ratione Ordinis ſuſcepti, ſiue Beneficij tenentur, competentibus horis ſtudioſè, ac deuotè id faciant, & orationibus, & obſecrationibus Deum placare, propitiumque populo reddere nitantur. *Con. Trid. ſeſſ. 23. c. 14*

CAPVT II.

De Officio Parochi.

S. Chrisost. hom. 13. in Genes. 1. CVM nihil ità gratum Deo sit, vti animarum salus; ideò illarum curæ Præpositi mentis aciem ad crediti sibi gregis regimen assiduè eleuent, & ad exemplum Christi supremi Pastorum Principis, qui pro omnibus mortuus est, vt omnes saluos faceret, suas oues, tàm verbi doctrina, quàm operum exemplo pascant, & pro eisdem proprias animas ponere, quoties pastoralis officij ratio exiget, non dedignentur, ne eorum incuria à via Domini aberrantes deperdi contingat. Quamuis enim penè omnia, quæ in hac nostra Synodo decreuimus, ad munus Parochi ritè, & debitè obeundum spectare videantur, quædam tamen hìc speciatim animarum Rectoribus inculcare existimauimus.

2. ad Cor. cap. 3.

Io. cap. 10.

2. Cum non modò damnosa, sed & damnabilis sit Parochi imperitia, & tot obsit, quot præest ouibus, qui eas pascere, & regere ignorat; propterea curam animarum habentes probè teneant quæ sint leges, & obliga-

tiones

tiones ipsis ab Ecclesia impositæ, vt illis plenè satisfacere, & omnes proprij ministerij partes implere possint; ac propriam conscientiam ab omni peccati labe mundam cõseruare studeant, vt conuenienti puritate, ac sanctitate ad Mysteria diuina pertractanda sint semper, & vbique parati: quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent, exactissimè calleant; libros ad proprium munus fructuosè obeundum apud se retineant, & assiduo studio reuoluant; Vitam, ac mores ita instituant, vt quod verbis populum docent, opere confirment.

3. Diebus Dominicis, & festis de præcepto non omittant Parochi sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare in propria Parochia, & pro populo orare: Quolibet die Lunæ pro defunctis Sacrum faciant, prout hactenùs consueuerunt. *Trid. sess. 23. cap. 14.*

4: Iuxtà Parochiam habitent, & resideant, nec ab ea vltra biduum abfuturi, absque nostra licentia, & relicto priùs idoneo Sacerdote à Nobis approbando, qui eorum vices gerat, quouis prætextu discedere præsumant, sub poena suspensionis ab officio, alijsque iuxtà S. Conc. Trid. decreta infligendis. *Trid. sess. 6. cap. 1. de reform. & sess. 23. de reform. cap. 1.*

5. In Ecclesijs, in quibus numerosa est populi frequentia, tot Confessarios ex approbatis esse curent, quot ad confessiones suarum ouium commodè excipiendas sufficere cognoscant. In

Pa-

Pagis tempore Quadragesimæ, & Aduentus, necnon & Iubilæi, vt liberiùs fideles propriam conscientiam Confessarijs pandere possint, duos, vel plures ex approbatis à Nobis ad confessiones audiendas ex alienis Parochijs euocent, sub pœna suspensionis ab officio.

Trid. sess. 23. de reform.

6. Erga pauperes, pupillos, orphanos, aliasque miserabiles personas spirituali, ac temporali miseratione indigentes, curam paternam gerant. Aegrotos, præcipuè in vitæ discrimine constitutos, frequenter visitent, & morti proximos maiori studio; nam si aliquem absque Sacramentis ob eorum negligentiam decedere contigerit, vltrà diuinam indignationem, grauissimis pœnis pro modo culpæ à Nobis punientur.

7. Exorcismum ad expellendos Dæmones à corporibus obsessis, aut ad veneficia soluenda, cum conscientia ab omni criminis macula purgata, magna cum humilitate, & fide, orationes, & ieiunia adhibendo, exerceant; Alios exorcismos, præterquàm ab Ecclesia Catholica approbatos, nō adhibeant, nec alio in loco, quàm in Ecclesia, nisi obsessus ægritudine grauetur, exorcizent, præsentibus tantùm honestis, & grauibus personis: gratis autem hoc charitatis officium exerceant. Alijs autem, quàm Parochis, absque nostra speciali licentia exorcizare, aut su-

ſuper infirmos legere,ſub pæna ſuſpenſionis omninò interdicimus.

8. Diſcordias,& diſſidia inter eos, qui in eorum Parochijs degunt, omni prudentia componere curent; vitia, corruptelas, abuſus, irrationabiles conſuetudines, ſedulò euellere ſtudeant; & ſi hoc præſtare ſe non poſſe nouerint, ad Nos deferant, vt opportunis remedijs, Deo adiuuante, tanto malo occurrere valeamus.

9. Super greges ſuos inuigilent, & diligentiſſimè inquirant, an intrà limites ſuæ Parochiæ degant concubinarij, illicitas mercaturas exercentes, vſurarij, ſimoniaci, alijque ſalutis æternæ immemores, aut in excommunicatione vltrà annum inſordeſcentes, Eccleſiaſticorum bonorum vſurpatores, & detentores, Virginum raptores, ſtupratores, adulteri, Coniuges, qui ſeparato thoro abſque Eccleſiæ iudicio indiuiduam vitæ conſuetudinem non retinent; & quos tales nouerint,ad bonam frugem, & per ſe ipſos, & Nobis admonitis,reducere curent.

10. Singulis menſibus ſtatum ſuarum Eccleſiarum Nobis fideliter referant, & ſcandala, quæ in eorum Parochijs vigent, eleemoſynas, quæ à fidelibus offeruntur, ac expenſas, quæ à procuratoribus ſuarum Eccleſiarum fiunt, & fidelium nomina, quos ſine Sacramentis deceſſiſſe nouerint, eorumque pias diſpoſitiones ſincerè

cerè enarrent, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

Conc. Trid. ſeſſ. 5. de reſor. c. 2.

11. Eleemoſynarum quoſcunque quæſtores, ſine ſpeciali licentia à Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali in ſcriptis obtenta, in eorum Parochijs non admittant, nec eis vllatenùs Indulgentias publicare, Reliquias oſtendere, & ſermones facere permittant.

12. Benedictiones domorum ad præſcriptum Ritualis Romani cum aqua in benedictione fontis baptiſmalis ſanctificata, & priuſquàm illi ſacra olea miſceantur ſepoſita, per ſolos Parochos, vel alios Sacerdotes ab eiſdē approbatos, ſemel tantùm quolibet anno, nō tamen ante Sabbathum Sanctum, fieri volumus, & mandamus; Cæteris verò Clericis, tàm Secularibus, quàm Regularibus, ſub pœna ſuſpenſionis incurrendæ, ac alijs arbitrio noſtro infligendis, id omninò interdicimus.

C. in Sabbatho de cōſecr. diſt. 4.

13. Atteſtationes pro cauſis pietatem concernentibus gratis præſtent; In adſcribendo pios fideles alicui Sodalitati, vel Confraternitati eorum curæ ſubiectos, aut in interueniendo proceſſionibus, quæ ab ijſdem Confraternitatibus fiunt, nihil petant, aut accipiant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio.

14. Singulis menſibus die ipſis Parochis beneuiſa, præmonitis omnibus Sacerdotibus, &

alijs

alijs in sacris Ordinibus constitutis, conferentiam Casuum Conscientiæ fieri curent, in qua discussis tribus casibus in priori conferentia propositis, alij tres casus in proxima futura conferentia discutiendi ab eisdem proponantur.

CAPVT III.

De Canonicis, & Capitulo.

1. CAnonici, cum ad conseruandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam præ cæteris teneantur, omni studio curare debent, vt pietate, ac morum integritate in omnibus se ipsos præbeant exemplum bonorum operum, & superiùs à Nobis præscripta de vita, & honestate Clericorum, ipsi potissimùm, qui sunt in altiorem, ac sublimiorem officij, ac honoris gradum assumpti, diligenter exequantur. *Ad tit. c.2.*

2. Horas canonicas, aliaque diuina Officia, ad quæ pro munere tenentur, studiosè, ac deuotè persoluant, & in diuinis laudibus concelebrandis nedum corpus decentèr, & religiosè componant, sed & animum ab exterioribus auocent, & se coram Deo sistant, vt id versetur *Cassian. collat. 23. c. 7.*

in corde, quod profertur in ore. In Choro nemo priuatè, & submissa voce Officium recitet, sed omnes vno ore laudent nomen Domini.

3. Memores Diuinæ præsentiæ caueant à colloquijs, ac verbis inutilibus, sed si quid dicere, vel respondere oportebit, citò, ac breuiter expediant, ac omnia diligenter, debitaq. veneratione expleant.

4. Cœremoniarum Magistro in ijs, quæ ad cœremonias pertinent, absque vlla contradictione pareant, & Cœremoniale Romanum in omnibus diligenter obseruent.

5. Et cum omnes Canonici, tàm nostræ Cathedralis Ecclesiæ, quàm etiam Ecclesiarum Collegiatarum huius nostræ Diœcesis, ad residentiam teneantur; idcircò apud easdem assiduè resideant: absentes verò sine legitima causa à Nobis approbanda, ad formam Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini à Nobis puniantur.

Sess. 24. de reform. c. 12.

6. Præterea omnes prædictos Canonicos absentes, quibuscunque remissionibus, & collusionibus exclusis, solita prouentuum, ac distributionum portione mulctari mandamus. Quod si dolosè dictam portionem perceperint, aut non soluerint, sciant se ad restitutionem teneri.

Sess. eadem C. vnico de Cler. non resident.

7. Punctatores fidelitèr, & diligentèr munus suum exequantur, ac sine vlla personarum

acce-

acceptatione singulorum absentiam obseruent, & punctis notent, & antequam prædictum munus exercere incipiant, iuramentum in manibus nostris, seù Vicarij nostri Generalis præstent se legitimè illud executuros. Alioquin si deliquerint in officio, vltrà obligationem restituendi quod eorum culpa præsentibus non accreuit, vel iniustè notatis decreuit, pœnis periurij, alijsque Nobis arbitrarijs punientur.

8. Vt autem Punctatorum æquitas, aut dolus pateat, teneantur ipsimet singulis mensibus notam punctationum ad Capituli Camerarium afferre, vt illam exequi, & prouentus ex absentium punctis inter præsentes distribuere valeat, aut Nos certiores reddere.

9. In Capitulo res deliberandas modestè proponant; vanis, aut obstinatis disceptationibus ne contendant; iurgia, & iniuriosa verba procul ablegent, sed miti sermone in vtilitatem Ecclesiæ, quam vnicè præ oculis habeant, propriam sententiam proferant. Quod si quis contumelijs, aut alio quouis modo alium offendere ausus fuerit, pro modo culpæ seuerè à Nobis punietur.

CAPVT IV.

De Regularibus.

1. REgularis vitæ professores, quos in partem sortis Sanctorum vocauit Deus, ità vitam instituere, moresque componere studeant, vt exemplum sint cæteris fidelibus in verbo, in conuersatione, in fide, in omni opere bono fructificantes, vt Nos eorum ministerio adiuti, concreditum Nobis gregem salubriùs regere valeamus.

Ad Colos. cap. 1. 1. Ad Tim. cap. 4. Ad Colos. cap. 1.

2. Singuli è Conuentibus non exeant, nec incedant; habitum, qui religiosam paupertatem, ac modestiam redoleat, gerant; secularibus negotijs non se immisceant, & in omnibus, quantum humana fragilitas patitur, irreprehensibiles esse curent. Munus Confessarij, nisi à Nobis approbati, non exerceant, nec super ægrotos legant, ac omnia in hac nostra Dioecesana Synodo sancita, quantum ad ipsos attinet, exequi non omittant: Exteros Sacerdotes, sine nostra, aut nostri Vicarij Generalis licentia, in eorum Ecclesijs Missas celebrare non sinant. In Monasterijs, seù Conuentibus, ad præscriptum S. Concil. Trid. vbi com-

Sess. 23. decret. de obseruan.

commodè fieri queat, lectio Sacræ Scripturæ habeatur. *Trid. sess. 5. de refor. c. 1.*

3. Extra clauſtra degentes ſi deliquerint, ex ipſius Concilij Tridentini decreto, quocunque ſui Ordinis priuilegio non obſtante, nouerint ſe à Nobis ſecundum Canonicas ſanctiones puniendos; In clauſtris verò degentes, ſi extra illa ità notoriè deliquerint, vt populo ſcandalo ſint, ab eodem Superiore intra tempus à Nobis præfigendum puniantur, & de punitione Nos certiores reddant, ſin minùs delinquentes pro delicti grauitate à Nobis punientur. *Seſſ. 6. de reform. c. 3.* *Seſſ. 25. c. 14. de Reg.*

4. Cenſuras, & interdicta à Nobis promulgata, quotieſcunque requiſiti fuerint, in eorum Eccleſijs promulgent. Ad publicas proceſſiones vocati, accedere teneãtur. In die Sabbathi Sancti campanas haud pulſent antequàm pulſauerit Cathedralis Eccleſia, ſub pæna interdicti incurrendi. Corpora defunctorum efferre nõ audeant, niſi præſens ſit proprius defuncti Parochus. *Seſſ. eadem cap. 12. de Regul.* *Ibid. c. 13. de Regul.*

5. Moniales, abſque expreſſa licentia Sacræ Congregationis, iuxta Decreta eiuſdem S. Congregationis per Sixtum V. & Vrbanum VIII. approbata, alloqui non audeant. Ad quorum præſcriptum quatèr quidem in anno, ſed extra tempus Aduentus, Quadrageſimæ, Vigiliarum, feriæ ſextæ, Sabbathi, ac feſtorum de præcepto & præuia noſtra in ſcriptis licentia, eas dumtaxat *Con. Conc. 1590. ſub Sixto V. & 1623. ſub Vrb. 8.*

xat, quæ in primo, vel secundo consanguinitatis gradu sibi coniunctæ fuerint, alloqui permittimus; alioquin contra huiusmodi formam decreti alloquentes, nouerint se, præter pœnas priuationis officiorum, culpam etiam læthalem incurrere, etiamsi per quodcunque modicum temporis spatium cum eisdem loquantur.

Eadem sub Clem. IX. de an. 1669. die 11. Maij.

6. In paruis Conuentibus degentes, in quibus ob exiguum numerum Religiosorum perfecta claustralium institutionum obseruantia esse nequit, cum ex Apostolicis decretis nostræ Iurisdictioni omninò subiecti sint, præscripta in eisdem decretis, ac pluribus responsis Sacræ Congregationis super Statu Regularium ad illorum interpretationem emanatis, diligenter obseruent. In eisdem Conuentibus enixè mandamus, vt sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minùs Sacerdotes sint maturæ ætatis, re ipsa alantur, sub pœnis in eisdem decretis contentis.

Decr. Sac. Cong. super stat. Regul. approbat. ab Innocen X. editum 10. Feb. 1654. Declarationes eiusdem S. Congr. ab Alex. VII. approbatæ.

C A-

CAPVT V.

De Monialibus.

1. VT Sanctimoniales, quæ abdicato seculo castitatem Deo vouerunt, dignè ambulare valeant vocatione, qua vocatæ sunt, ac omnia amoueantur impedimenta, quæ sanctum ipsarum propositum à spiritualium rerum cogitatione auertere possunt, quin ea, quæ debent sanctitate Christo Sponso inseruire possint, vltra ea, quæ in Prædecessorum nostrorum Synodis, & in actu nostræ visitationis pro vnius cuiusque Monasterij Monialibus sancita fuere, infrascripta districtè obseruari mandamus. *Ad Ephes. cap. 4.*

2. Constitutiones, dispositiones, ac decreta de Sanctimonialium clausura seruanda, conseruanda, ac restituenda, hactenùs à Summis Pontificibus promulgata, & à Sacro Concilio Tridentino præscripta, inuiolabiliter obseruent. Nulla Monialis temerario ausu, Diabolicoque spiritu ducta, clausuram violare præsumat, nec quispiam intra Monasterij septa absque nostra in scriptis licentia introire audeat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ Summo Pontifici reseruatæ, alijsque pœnis arbitrio *Trid. sess. 25. de Regul. c. 5.* *Ibidem B. Pius V. Constit. quæ incipit Circa Pastoralis. & Constit. quæ incipit Decori.*

no-

nostro rigorosissimè infligendis. Pueros etiam, vel puellas, cuiuscunque sint ætatis, intra clausuram admitti strictissimè interdicimus.

3. Obtinentes licentiam ingrediendi claustra Monialium ex causa necessaria, nonnisi de die ingredi permittimus, ac semper duabus ex senioribus Monialibus associātibus, recto tramite ad locum destinatum pergant, & eadem via reuertantur, nec per Monasterium diuagentur.

4. Nemo, cuiuscunque gradus, status, & conditionis sit, sine nostra licentia in scriptis concedenda, ad Monasterij Collocutoria, crates, & rotas, Moniales allocuturus, sub quouis prætextu
S. Congreg. Regul. 15. Ian. & 15. Mar. 1656. accedere præsumat, sub poena excommunicationis, alijsque arbitrio nostro iniungendis; exceptis tamen in primo, & secundo consanguinitatis gradu coniunctis, temporibus tamen non prohibitis, dummodò cum alijs, quàm cum consanguineis non loquantur.

5. Clausuræ ianua pro ijs introducendis, siue educendis, quæ per rotas educi, seù introduci possunt, non aperiatur, nec ex ea vlla ex Monialibus alloqui audeat. Duabus seris, & clauibus diuersis, altera quidem interiùs, alia verò exteriùs, eadem ianua claudatur, quæ de nocte penès Abbatissam asseruentur.

In

6. In fenestris collocutorijs crates sint ità spissæ, & strictæ, vt nec puellæ manus per foramina transmitti possint.

7. Ad fenestellam Confessionis affixæ sint duæ laminæ ferreæ minutis foraminibus perforatæ, vt in actu Confessionis solùm audiantur, non tamen aspiciantur Moniales. Clauis custodiæ Sanctissimi Sacramenti, & fenestellæ, per quam Sacramentum Monialibus dispensatur, à Sacerdote, seù Confessario, ad quem spectat huius Sacramenti ministratio, non verò à Monialibus retineatur.

Con. Episc. 1592.

Con. Episc. in Vallisoletana 12. Iann.1604.

8. Nulla Monialis priuatas Missas, etiam proprijs expensis, absque nostra licentia ex legitima tantùm causa concedenda, celebrare facere audeat ex Constit. Clem. VIII.

Cle. VIII. apud Cau. in addit. ad Manual.

9. Confessarius Monialium nunquàm Monasterij septa ingrediatur, nisi ad Sacramenta infirmis administranda, & tunc semper superpelliceo, & stola indutus, associatus à duabus ex senioribus deputatis, recto tramite ad infirmæ cubiculum pergat, nec ad aliam Monasterij partem se conferat; Confessiones è consueta Sede in loco Ecclesiæ conspicuo collocata semper excipiat.

Ale. VII. const. Felici Sacr. Vi g. §.5. in ord. Bull.153.

10. Bis, vel tèr in anno ad præscriptum Sac. Concil. Trid Abbatissa Monasterij Nos, vel nostrum Vicarium Generalem requirere teneatur

Trid. sess. 25. de Regul. & Monial. c.10.

Con. Regul. 2. Iul. 1589 decr. 35. pro Confessarij extraordinarij deputatione, coram quo omnes accedere teneantur, saltem ad suscipiendam benedictionem, si confiteri noluerint. Tempore, quo extraordinarius Confessor fungitur officio suo, se abstineat ordinarius ad confessiones audiendas accedere.

Greg. XV. Constit. quæ incipit Inscrutabili in ord. Bul. 18. 11. Administratores, & Oeconomi bonorum Monasterij, ea, qua decet fide, & diligentia huiusmodi munus exercere curent, & singulis annis rationes administrationis coram Nobis reddant, iuxta Const. Greg. XV.

Con. Regul. 2. Iul. 1585 dist. 28. 12. Quodcunque negocium, aut particulare interesse cuiusuis Monialis non pertractetur cum alijs Aduocatis, Procuratoribus, Sollicitatoribus, Exactoribus, alijsque negociorum gestoribus, quàm cum solitis pro communibus negocijs Monasterij deputatis.

Sess. 25 cap 18. de Regul. 13. Nouerint denique omnes, pœnam excommunicationis ipso facto incurrere ex Concil. Trid. sanctione quascunque personas, cuiuscunque qualitatis, & conditionis fuerint, etiam clericali, & regulari dignitate fulgentes, si quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem ad ingrediendum Monasterium, vel Religionis habitum suscipiendum, aut professionem emittendam. Vlterius omnes alij, qui auxilium, fauorem, præsentiam, consensum, & auctoritatem

tatem interposuerint; siue è contra sanctam Virginum, aut aliarum mulierum voluntatem habitum regularem suscipiendi, seu voti emittendi, quoquomodo sine iusta causa impedierint. Ideo ad regularem habitum non recipiantur, nec ad professionem admittantur, nisi priùs per Nos, aut per nostrum Vicarium Generalem, vel alium à Nobis deputatum, illarum voluntas diligenter exploretur.

Trid. sess. 25. cap. 17. de Regul. & Monial.

CAPVT VI.

De Bizzochis, seu Tertiarijs.

1. MVlieres extra clausuram degentes, quæ habitum Religionis gestare cupiunt, vulgò Tertiariæ, seu Bizzochæ nuncupatæ, vt in proposito cordis permanere in Domino possint, & ne quis eas seducat vllo modo, qualitates in Constit. Concil. Lateranen. sub Leone X. ac decretis Sac. Congreg. Cardinalium negocijs Episcoporum, & Regulariũ præpositorũ habeant; videlicet, sint probatæ vitæ, ac bonis moribus præditæ, in ætate saltem quadraginta annorum constitutæ, quæ de proprio habeant vndè sufficienter viuere possint: cum alijs viris, quàm cum consanguineis, vel affinibus in pri-

Act. c. 11. Ad Thess. cap. 2. Con. Lateranen. sub Leone X. sess. 21. C. Episc. & Regul. die 20. Decem. 1616.

mo tantum gradu sibi coniunctis, non inhabitent, præuia tamen nostra, seu nostri Vicarij Generalis licentia, postquam de prædictis omnibus per diligens examen constiterit, in scriptis concedenda.

2. Huiusmodi habitum de licentia nostra deferentes emissa professione, omninò à velo super caput, quod Superiectum vocant, & à pectorali, quod vulgò dicitur Sotto gola, & à Patientia abstineant, sub pœna excommunicationis, alijsque arbitrìo nostro infligendis.

CAPVT VII.

De Confraternitatibus, & Sodalitijs.

1. CVM Laicorum Sodalitates ad populi mores componendos, & pietatis religionem eorum animis suauiter insinuandam fuerint sanctè, & laudabiliter institutæ, cuiuslibet Sodalitatis Confratres charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore præuenientes, spiritu feruentes, orationi instantes, misericordiæ operibus, ac Sacramentorum frequentia in viam Domini proficientes, Deo placere,

Ad Rom. cap 12.

cere, ac vberrimos æternæ salutis fructus parere studeant.

2. Constitutiones, & Statuta nulla habeant, aut condant, nisi priùs à Nobis examinata, atque approbata fuerint. Quæ alijs Sodalitatibus non sunt aggregatæ, aggregari curent, vt concessas primarijs Archiconfraternitatibus Indulgentias participare possint. *Const. Clemen. VIII. quæ incipit Quæcunque*

3. Nouæ Confraternitates cum vsu saccorum etiam à Regularibus, sine nostra expressa licentia, & antequam à Nobis eorum Statuta comprobentur, minimè instituantur. *C. Episc. 6. Dec. 1616.*

4. Officiales Statuta, & Constitutiones Sodalitatis cuilibet ostendant, antequam quis in Sodalium numerum recipiatur, & de omnibus ad Sodales spectantibus plenè instruant, vt quilibet muneri suo satisfacere possit.

5. In Confratrum numerum non recipiantur qui Doctrinam Christianam ignorant, facinorosi, publici peccatores, vsurarij, concubinarij, & infames; imò si tales efficiantur, postquam adscripti fuerint, à Sodalitate arceantur.

6. Officialium electio, omni humana ratione postposita, quotannis secretis suffragijs coram Parocho, seu alio à Nobis deputando, fiat.

7. In processionibus Confratres, talaribus saccis induti, bini, ac modesti incedant; præ

cæteris

cæteris verò silentium, deuotionem, ac debitum ordinem seruent.

8. In ipsorum Oratorijs, seù Cappellis profana non habeantur colloquia ; nugæ, & scurrilia non peragantur, sed orationibus, & pietatis exercitijs sine strepitu attentè, & reuerentèr vacent. In festiuitatum celebrationibus, Confraternitatis bona inutilibus expensis non dissipentur, sub pœna soluendi de proprio.

Conc. Trid. sess. 22. de refor. c. 9.

9. Rationem eorum administrationis Oeconomi omnium Confraternitatum, & Sodalitatum, etiam in Ecclesijs Regularium existentium, quotannis Nobis reddant, & qui debitores remanserint, infra duos menses soluere, & omninò satisfacere teneantur, sub pœna vnc. quinque eidem Sodalitati applican. & inhabilitatis ad officia, & dignitates in eadem Sodalitate obtinendas:

10. Pia legata cum onere celebrationis Missarum, desponsationis puellarum, seu quocunque alio, sine nostra expressa licentia non recipiant, sub pœna interdicti, alijsque Nobis arbitrarijs.

11. Eleemosynæ Confraternitatibus, & Sodalitatibus, siue per suos quæstores de nostra licentia quæsitæ, siuè à pijs fidelibus oblatæ, diligenter coram Parocho, seu alio à Nobis deputando, adnotentur.

Vt

12. Vt autem bona, & redditus Confraternitatum conſeruentur, quælibet Confraternitas habeat librum, in quo diſtinctè bona omnia, redditus, legata pia, & onera omnia deſcribantur; necnon habeant inuentarium omnium iocalium Confraternitatis in eorum Archiuio diligenter aſseruari. Cœterum omnia de rebus Eccleſiæ conſeruandis, earumque recta adminiſtratione à Nobis præſcripta, diligenter, & inuiolabiliter obſeruent.

CAPVT VIII.

De Examinatoribus Synodalibus.

1. NE ad curam animarum, quas Chriſtus acquiſiuit Sanguine ſuo, admittantur indigni, ſed ſolummodò doctrinæ, ſcientiarumque habentes neceſſaria requiſita, vt potentes ſint in doctrina ſana exhortari, & eos, qui contradicunt redarguere, Sacroſanctum Tridentinum Concilium decreuit, vt in Diœceſana Synodo Examinatores Synodales ab Ordinario proponantur, ab eaque probentur, ex quibus ſaltem tres, cum eodem, ad Parochiales Eccleſias concurrentium examen diligenter perficiant. *Act. cap. 20* *Ad Tit. c. 1* *Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 18.*

Pro-

2. Propterea infrascriptos Examinatores pro concursu Parochialium eligimus, & deputamus, qui ex eiusdem Concilij præscripto curare teneantur, se, quacunque humana affectione postposita, fideliter munus iniunctum executuros; quod idem præstent quoties ad examinandum accedunt.

3. Examinandos ante examen quid sit respondendum nullatenùs doceant, sub poena periurij; Nec quidquam prorsùs occasione huius examinis, nec anteà, nec posteà accipere audeant; alioquin vitium simoniæ tàm ipsi, quàm alij dantes incurrent.

4. Inutilibus, ac implicatis quæstionibus examinandos non vexent, sed quæ ad munus Parochi ritè exercendum spectant, clarè, & distinctè proponant, ac de eorum vita, & moribus, virtutibus Christianis, quibus pollere debent, diligenter inquirant. Peracto examine, secretis suffragijs quos idoneos repererint approbent, ex quibus quem magis aptum, & idoneum duxerimus, eligere, quantùm in Nobis erit, curabimus.

Examinatores Synodales sunt.

Admod.Reu. D.Ludouicus Famucellus S.T. & I.V.D. Canonicus, Sanctiss.Inquisitionis Assessor, Vicarius Generalis.

Adm.Reu.D.Michael Bonicius I.V.D. Archidiaconus.

Adm.Reu.D.Ioannes Antonius Cauchius S. T. & I.V.D.Decanus.

Adm.Reu.D.Alexander Bologna I.V.D. Canonicus.

Adm.Reu.D.Dominicus Attard S.T.& I.V.D. Canonicus.

Adm.Reu.D.Petrus Gurgiun I. V. D. Canonicus.

Adm.Reu.D.Saluator Teuma I. V. D. Canonicus.

Adm.Reu.D.Thomas Vella S.T. D.Coadiutor Canonici D.Petri Ristri.

Adm.Reu.D.Marianus Haxac I.V.D. Coadiutor Thesaurarij.

Adm.Reu.Abb.D.Ignatius Constantius I.V.D. Coadiutor Canonici D. Antonini Testaferrata.

Reu.D.Io.Maria Barbara S.T.D.Parochus Burmulæ.

Reu.D.Simon Schembri S.T.D. Præpositus Oratorij Ciuitatis Sengleæ

Adm.Reu.Fr.Abbas Dauid Coccus de Palmerijs Prothon.Apost.I.V.D. Ordinis S.Io.Hierosolymitani Frater Cappellanus,Commendatarius S Petri Castellani.

Reu.Fr.Ioseph Sola S. T. D. Ordinis prædicti Fr.Cappellanus.

Reu.Fr.Franciscus Attardus S. T. Magister,Ordinis Prædicatorum.

Reu.Fr.Petrus Hagius S.T.D, Baccalaureus Ordinis Prædicatorum.

Adm.Reu.Fr.Carolus Zirafa S.T. Magister,Ordinis Minorum Conuentualium,Prouincialis Siciliæ.

Reu.Fr.Augustinus Sapianus S. T. M. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

Reu.Fr.Ioannes Petrus Grec S. T. M. Ordinis Carmelitani.

Reu.P.Ioannes Maria Vella S. T. P. Societatis Iesu.

C A-

CAPVT IX.

De Iudicibus Synodalibus.

1. CVM ex Sacri Concilij Tridentini ſanctione teneamur in præſenti Synodo nominare, & deputare perſonas aptas, & idoneas in Iudices, quibus cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes delegentur (ex quibus etiam Regulares, iuxtà Conſt. Gregorij XV., pro ſuis priuilegijs tuendis Conſeruatores eligere teneantur, quorum electionem canonicè, & legitimè factam Nobis intrà duos menſes à dicta electione ſignificare curent): Ideò in Iudices Synodales eligimus, & nominamus,

Seſſ. 25. de refor. c. 10.

Conſtit. de conſeru. quæ incipit Sanctiſſimis de anno 1621.

Adm. Reu. D. Ludouicum Famucellum S. T. & I. V. D. Canonicum, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Aſſeſſorem, Vicarium Generalem.

Adm. Reu. D. Michaelem Bonicium I. V. D. Archidiaconum.

Adm. Reu. D. Ioannem Antonium Cauchium S. T. & I. V. D. Decanum.

Adm. Reu. D. Ioannem Mariam Zahram I. V. D. Cantorem, & noſtrum Prouicarium.

Adm.Reu.D.Ioannem Franciscum Xeberras I.V.D.Thesaurarium.

Adm.Reu.D.Ioannem Baptistam Desayn I.V.D Archipræsbyterum.

Adm.Reu.D.Paulum Antonium Borgium I.V.D.Canonicum.

Adm.Reu D.Alexandrum Bologna I.V.D.Canonicum.

Adm.Reu.D.Hieronymum Piscopum I.V.D. Canonicum.

Adm.Reu.D.Philippum Muscatum I. V. D. Canonicum.

Adm.Reu.D.Iosephum Desayn I.V.D. Canonicum.

Adm.Reu.D.Ioannem Antonium Cangialanza I.V.D.Canonicum.

CAPVT X.

De Testibus Synodalibus.

1. CVM ex Nobis ipsis boni Pastoris munus explere non simus sufficientes, sed sufficientia nostra ex Deo sit; quæ per tot loca diuersa nostræ Diœcesis intueri non possumus, per vigilantes saltem oculos piorum, pru-

Ad Corint. cap. 3

prudentum, ac Ecclesiasticæ disciplinæ conseruandæ studiosorum hominum inuestigare debemus. Idcircò Innocentij Tertij decretis in Concilio Lateranen. editis inhærentes, infrascriptos Testes Synodales constituimus, qui non ordine Iudiciali, sed discretè procedendo, diligenter inquirant quæ correctione, vel reformatione indigeant, & ea fideliter ad Nos perferant, vt opportunis remedijs occurrere valeamus. *Cap. Sicut olim de accusat.*

2. Et vt laudabiliùs commisso fungantur officio, omni diligentia inuigilent, ac inquirant:

An piæ fidelium dispositiones ritè ad præscriptam testatorum mentem adimpleantur.

An Capitula Horas Canonicas, aliaque diuina Officia sanctè, & deuotè persoluant.

An Parochi, & alij curam animarum habentes Dominicis, & festis diebus populum in Fidei mysterijs, & necessarijs ad salutem instruant, ac Sacramenta ritè, & diligentèr omnibus administrent, & an eorum incuria aliquis sine Sacramentis decesserit.

An Clerici Constitutiones vitam, & honestatem Clericorum concernentes exactè obseruent.

An in hac nostra Dioecesi adsint publici sacrilegi, blasphemi, cōcubinarij, adulteri, incestuosi, vsu-

vsurarij, vel Coniuges separatim commorantes, alijque cum scandalo viuentes.

Denique an hæ nostræ Constitutiones Synodales, vt par est, inuiolatè seruentur.

Testes autem Synodales sunt.

Adm.Reu.Saluator Teuma I. V. D. Canonicus Cathedralis Ecclesiæ.
D.Franciscus Vella de Rabato.
D.Maximilianus Balsanus de Valletta.
D.Carolus Colonia de Valletta.
D.Lucas Ciantar de Victoriosa.
D.Michael Haxiac de Burmula.
D.Marcus Parmisciano de Senglea.
D.Ioseph Hasciscia de Curmi.
D.Lucas Misfud de Nasciaro.
D.Sebastianus Farmosa de Zurrico.
D.Ioannes Maria Paci de Zebugi.
D.Paschalis Zahra de Zeitun.
D.Lazarus Camillerius de Insula Gauli.

Formu-

Formula Iuramenti in manibus Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.Epiſcopi per ſupraſcriptos Teſtes Synodales in Synodo præſtiti.

Ego N. Teſtis Synodalis, ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Epiſcopo nominatus, promitto, ſpondeo, & iuro, quod à modò in antea quicquid noui aut audiui, aut poſtmodùm inquiſiturus ſum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Chriſtianitatem in Diœceſi, vel Regione mihi commiſſa factum ſit, vel faciendum erit, ſi in diebus meis euenerit tantùm, vt ad meam cognitionem quocunque modo deueniat, ſi ſciuero, aut indicatum fuerit mihi Synodalem Cauſam eſſe, & ad miniſterium Illuſtriſs.& Reuerendiſs. D. Epiſcopi pertinere; quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam vllatenùs celabo Illuſtriſs. Epiſcopum, aut eius Miſſum, cui hoc inquirere iuſſerit. Sic me Deus adiuuet, & hæ Sanctorum Reliquiæ.

Ex Maſobr. de Synod & ex Barboſ. de offic. & poteſtat. Epiſc. p. 3. in Formul. Epiſc.

CA-

CAPVT XI.

De Foro Ecclesiastico, eiusque Officialibus.

1. VT Forum nostrum Iudiciale qua decet integritate, & æquitate regatur, eiusque Officiales ministerium suum impleant, controuersias omnes, quantùm possunt, amicabiliter componere studeant: quod si id assequi nequiuerint, quanta fieri poterit breuitate, re tamen benè, & maturè discussa, terminare curent. Causas leues, quæ summam vnc. quatuor non excedunt, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, dirimant. Nulla personarum habita ratione iustitiam administrent: pauperibus, & miserabilibus gratis ius reddant, & à muneribus, ac donis, quæ à recto iudicandi tramite deuiare faciunt, abstineant.

Ad Tim. 4.

2. Ne Ecclesiasticæ Censuræ à fidelibus contemnantur, & perniciem potiùs afferant, quàm salutem, Excommunicationes illæ, quæ literis monitorialibus ad effectum reuelationis comminantur, nonnisi re, vti pergraui, maturè considerata, decernantur.

Trid. sess. 25. de reform. c. 3.

3. Absolutionis à iuramento ad effectum

tan-

tantùm agendi, non verò excipiendi concedantur.

4. Sequeſtra, empara, eleuationes, & impedimenta, nonniſi inſpectis publicis documentis, illiſque exhibitis, relaxentur.

5. Notarij, ſeù Actuarij, cæterique alij Officiales, à litigantibus, ſeù cauſas quaſcunque in noſtra Curia habentibus, nihil exigant, petant, & recipiant vltrà mercedem ſtatutam in Taxa, quam in Tabella in Archiuio noſtro appenſa in loco omnibus conſpicuo detineri mandamus, ſub pœna exacti, ſeù recepti duplum ſoluendi, alijſque arbitrio noſtro infligendis.

6. Informationes, proceſſus, inſtrumenta, & quaſcunq. alias ſcripturas ad Curiam noſtrã ſpectantes, delere, comburere, ſupprimere, ſeu quauis alia ratione occultare non audeant, nec minùs ſcripturas, ſiue proceſſus originales, ſine noſtra, aut noſtri Vicarij Generalis licentia, extrahere, aut alijs tradere audeant, ſub pœna excommunicationis, alijſque arbitrio noſtro infligendis.

7. Omnium ſcripturarum, proceſſuum, & actorum, quæ in Archiuio noſtro conſeruantur, diſtinctum, & exactum Inuentarium infra ſex menſes confici mandamus, in quo quolibet bimeſtri adnotentur proceſſus, & ſcripturæ, quæ in dies fiunt.

8. Nemo Iurisdictionem Ecclesiasticam, vel Officiales nostros, & nostræ Curiæ inseruientes, directè, vel indirectè, sub quouis prætextu, in exequendis mandatis ad prædictam Iurisdictionem spectantibus impedire audeat, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, Sanctæ Sedi reseruatæ.

CAPVT XII.

De diebus Ferialibus, in quibus Curiæ vacant.

IANVARIO.

17. S. Antonij Abbatis, & Confessoris.
20. SS. Fabiani, & Sebastiani Mart.
21. S. Publij Episc. & Mart. Insulæ Patroni, ac Principis.

FEBRVARIO.

3. S. Blasij Episc. & Mart.
4. S. Agathæ Virginis, & Martyris, Patronæ.
10. S. Scholasticæ Virginis.
22. Cathedræ Sancti Petri Apostoli.

MAR-

MARTIO.

7. S.Thomæ Aquinatis Confess. & Ecclesiæ Doct.
12. S.Gregorij Papæ, & Confess. & Ecclesiæ Doct.
20. S.Ioachim Patris B.M.V.
21. S.Benedicti Abbatis.
Omnes Feriæ sextæ dicti mensis.

APRILI.

23. S.Georgij Martyris.
25. S.Marci Euangelistæ.

MAIO.

6. S.Ioannis ante Portam Latinam.
8. Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli.
12. S.Philippi Argiriensis Confessoris.

IVNIO.

12. S.Barnabæ Apostoli.
13. S.Antonij de Padua Conf.
Octaua Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.
Feriæ Messium, ab octaua die mensis Maij, vsque ad Vigiliam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli inclusiuè, qui-

bus tamen, vtpotè introductis in hominum vtilitatem, renunciari potest.

I V L I O.

2. Visitationis B.Mariæ Virginis.
14. S.Bonauenturæ Episc. & Confess. & Eccles. Doct.
16. S.Mariæ de Monte Carmelo.
31. S.Ignatij Loyolæ Confess. Societatis Iesu Fundatoris.

A V G V S T O.

1. S.Petri ad Vincula.
2. S.Mariæ ad Portiunculam.
4. S.Dominici Confessoris.
5. S.Mariæ ad Niues.
6. Transfigurationis Christi Domini.
16. S.Rocchi Confessoris.
28. S.Augustini Episc. & Confess. & Ecclesiæ Doct.
29. Decollationis S.Ioannis Baptistæ.

S E P T E M B R I.

4. S.Rosaliæ Virginis Panorm.
10. S.Nicolai de Tolentino.
14. Exaltationis Sanctæ Crucis.
27. SS.Cosmæ, & Damiani Mart.
30. S.Hieronymi Confess. & Eccl.Doct.

OCTO-

OCTOBRI.

2. SS.Angelorum Cuſtodum.
4. S.Franciſci Confeſſoris.
15. S.Thereſiæ Virginis.
18. S.Lucæ Euangeliſtæ.
21. S.Vrſulæ Virg.& Martyris.

NOVEMBRI.

2. Dies Commemorationis omnium Defunctorum.
6. S.Leonardi Confeſſoris.
11. S.Martini Epiſcopi, & Confeſſoris.
21. Præſentationis B Mariæ Virginis.
25. S.Catharinæ Virginis, & Martyris.

DECEMBRI.

3. S.Franciſci Xauerij Confeſſoris.
4. S.Barbaræ Virginis, & Mart.
6. S.Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris.
7. S.Ambroſij Epiſc. & Confeſſ. & Eccleſiæ Doct.
13. S.Luciæ Virginis, & Martyris.

A Vigilia Natiuitatis Domini incluſiuè, vſque ad feſtum Epiphaniæ, cum duobus ſequentibus.

Item à feria quinta Carnispriuij ante Dominicam

cam Quinquagesimæ, vsque ad diem Cinerum inclusiuè.

Item à feria secunda maioris hebdomadæ, vsque ad feriam secundam post Dominicam in Albis inclusiuè.

Item per tres dies Rogationum.

Item per octauam Corporis Christi.

CAPVT XIII.

De diebus, in quibus Canonici hebdomadarium à primis Vesperis in Cathedrali nostra agere tenentur.

Obseruetur sequens Tabella, incipiendo à die 1. Iulij huius anni 1680.

1. Feria secunda Don Xauerius Balsanus.
2. Feria tertia Don Alexander Bologna.
3. Feria quarta Don Hieronymus Piscopo.
4. Feria quinta Don Ioseph Desayn.
5. Feria sexta Don Saluator Theuma.
6. Sabbatho Don Paulus Mallia.

Fe-

8. Feria ſecunda Don Ioannes Maria Zahra Cantor.
9. Feria tertia Don Petrus Riſtrius.
10. Feria quarta Don Antoninus Teſtaferrata.
11. Feria quinta Don Ludouicus Famucellus.
12. Feria ſexta Don Dominicus Attardus.
13. Sabbatho Don Petrus Gorgion.
15. Feria ſecunda Don Matthæolus Xeberras.
16. Feria tertia Don Antonius Cangialanza.
17. Feria quarta Don Franciſcus Xeberras Theſaurarius.
18. Feria quinta Don Philippus Muſcat.
19. Feria ſexta Don Michael Bonicius Archidiaconus.
20. Sabbatho Don IoannesAntonius Cauchius Decanus.

Et ita proſequatur, reaſſumendo ordinem.

In ſingulis autem Dominicis diebus quilibet Canonicus hebdomadarium agat iuxta antianitatis ſeriem, prout hactenus obſeruatum eſt.

Don

Don Ioannes Baptista Desayn, & Don Paulus Antonius Borg ab hebdomada eximuntur ob suas speciales obligationes.

Taxa Generalis Iurium Parochialium pro Exequijs, Missis, Diuinis Officijs, ac alijs, de quibus infra.

Pro Missa cantata cum primis, & secundis Vesperis, tar. octo.

Pro primis Vesperis, & Missa cantata intra Parochialem, & in Ecclesijs habitationis tar. sex.

Pro primis Vesperis, & Missa lecta intra Ecclesiam Parochialem, & in Ecclesijs habitationis tar. quatuor.

In Ecclesijs autem Ruralibus, nisi fuerit cunsuetudo plus percipiendi, & soluendi, pro primis Vesperis, & Missa cantata tar. octo.

Pro primis Vesperis, & Missa lecta in Ecclesijs

ſijs Ruralibus, ſalua conſuetudine prædicta, tar. ſeptem.

Pro Miſſa cantata ſimplici, pro Celebrante, tar. duos; pro aſperſorio, ſi erit, tar. vnum; pro quolibet aſſiſtente, & cantante gra. decem.

Pro denunciationibus faciendis tar. vnum pro qualibet denunciatione, ita vt nihil accipiatur ratione fidei denunciationum huiuſmodi, vbi ea opus fuerit.

Pro aſſiſtentia matrimonij contracti tar. ſex; ita tamen, vt pro vino, & candelis non allatis, vel altero eorum non oblato, vel pro linteolo, quod à nonnullis dari conſueuit, nihil accipiatur.

Pro qualibet publicatione literarum monitorialium tar. vnum; quæ ſi exceſſerint paginam vnam, habeant prætereà gr. decem pro qualibet vlteriori pagina; & idem pro publicatione fulminatoria, ita tamen, vt quælibet publicatio tar. duos nunquam excedat.

Pro qualibet fide Baptiſmi, vel Matrimonij, vel obitus tar. vnum; pro iuribus verò perquiſitionum partitarum huiuſmodi gr. tria pro quolibet anno, dempto eo anno, in quo partita inuenta fuerit.

Pro mortuis efferendis,cum vniuerso labore, etiam sepulturæ, tar.quatuordecim; pro infantibus biennium ætatis non excedentibus sepeliendis, tar.quatuor; pro infantibus verò biennium excedentibus, nondum tamen habentibus vsum discretionis,tar.sex.

Pro copia Missarum ex libro originali extrahenda, scilicet pro quocunque iure scripturæ, & extractionis illarum, tarenum vnum pro singulis centum Missis.

Nemo præsentem taxam alterare audeat, sub pœna vnciarum decem pijs operibus applican. alijsque Nobis arbitrarijs, etiam suspensionis. Quæ quidem taxa seruanda imponitur, nisi aliter disponetur per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam.

CA-

CAPVT VLT.

De Constitutionum Synodalium obseruantia.

CVM vanum sit leges condere, nisi debitæ executioni demandentur; ideò quæ à Nobis in præsenti Synodo secundum Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini dispositionem, Summorum Pontificum Constitutiones, & Sacrarum Congregationum sanctiones, acta, & decreta sunt, ab omnibus inuiolabiliter, sub poenis in ipsis Decretis, ac Constitutionibus contentis, obseruari volumus, ac strictè mandamus; facultatem Nobis reseruantes tàm ipsa Decreta interpretandi, moderandi, & etiam in partem, vel in totum derogandi, quàm poenas in eisdem contentas pariter augendi, vel diminuendi, vel in partem, vel in totum tollendi: & sanè vbi transgressioni poena pecuniaria infligitur, ad pios vsus applicanda semper esse censeatur. Vbi verò pro illorum obseruantia nulla fuit adiecta poena contra trànsgressores, & inobedientes, poenis à Sacris Canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus statu-

tis, alijsque arbitrio nostro pro delictorum grauitate, afficientur. Non tamen intendimus Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Decretis Synodalibus derogare in ijs, quæ his nostris non contradicunt; Imò, quatenùs opus sit, innouamus, ac obseruari mandamus. Denique has easdem Constitutiones nostras, qua decet obedientia, ac reuerentia, Romano Pontifici, eiusque Sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio, & correctioni libentissimè subijcimus.

Laus Deo, & Deiparæ Immaculatæ.



A P-

APPENDIX
AD
PRAECEDENTEM
SYNODVM.



BVLLA GREGORII XV.

De Exemptorum priuilegijs circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem Verbi Dei.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili Dei prouidentia vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta, & vt Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum. *Edita anno Dom. 1621*

§. 1. Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. *Con. Trid. sess. 23. de refor. c. 15.*

§. 2. Nec non vt in Monasterijs, seu domibus

& sess. 25. de Regul. cap. 11. bus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum Secularium præter eas, quæ sunt de illorum Monasterio, seu locorum familia, personæ tàm regulares, quàm seculares eiusmodi curam exercentes subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi sunt sita; Itemque vt Episcopi *& sess. 25. de Regul. cap. 5.* vniuersi sub obtestatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ, authoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, quacunque appellatione postposita, compescentes.

§. 3. Atque vt Regulares in Ecclesijs suorum Ordinū prædicare volentes se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesijs, prædicare præsumant. *& sess. 24. de reform. cap. 4.*

§. 4. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare,

vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur; matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, vt deinceps tàm Regulares, quàm Seculares, quomodolibet exempti, siue animarum curam personarũ seculariũ Monasterijs, seu domibus regularibus, aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel beneficijs, siue regularibus, siue secularibus incumbentẽ exerceant, siue aliàs ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absque vlla auctoritate se ingerant, in his, quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Dioecesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur. Ad hæc tàm Regulares, quàm Seculares huiusmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quo minùs, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ dele-

gato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

§.5. Confessores verò siue Regulares, siue Seculares, quomodocunque exempti, tàm ordinarij, quàm extraordinarij, ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratìs concedatur, obtineant, sed & administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus subiectarum, pertinentia, siue Regulares extiterint, siue Seculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratìs tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, vt eiusmodi Confessores, atque Administratores amoueant, ijsque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerit. Ac similiter possit Episcopus, vnà cum Superioribus Regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem Monaste-

nasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§.6. Ac demum habeat Episcopus, tanquã dictæ Sedis Delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos tàm Seculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, ita vt Episcopi in suprascriptis casibus in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras, aliasque poenas, vti eiusdem Sedis Delegati, procedere, omnemque Iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

Decernentes &c.

CONSTITVTIO GREGORII XV.

In qua confirmatur, & ampliatur Constitutio Pij IV. contra ad turpia solicitantes in Confessionibus Sacramentalibus.

VNiuersi Dominici gregis curam, quanquam immeriti, Cælesti dispositione gerentes, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur immunis, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab ijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Euangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, solicitando pœnitentes ad turpia, abutatur; ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex Cœlesti Medico infernalis veneficus, ex Patre spiri-

tuali

tuali proditor execrabilis Animarum reddatur: Idcircò Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendum duximus.

Aliàs siquidem à fel. record. Pio Papa IV. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet. Pius Papa IV. Ven. Fratri Archiepiscopo Hispalensi in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, non sine animi nostri molestia accepimus, diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Dioecesibus curam animarum habentes, siue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus poenitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento poenitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, &, qui id instituit, Domino Deo, & Saluatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur, Mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentũ huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maiestatis offensam, & Animarum

marum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum; Nos in animum inducere nequeuntes, quod, qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seù deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Dioecesum, de præmissis quomodolibet diffamatos tàm Seculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra Hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos, à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiamsi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, secularis Iudicij arbitrio puniendos tradas. Non obstantibus Cõstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,

ac

ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet cõcessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri anno secundo. Igitur vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorũ S.R.E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas literas huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus: illasque non solùm in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusuis Christia-

ni

ni Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus.

Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi, ab aliquo dubitari possit, statuimus; decernimus, & declaramus, quod omnis,& singuli Sacerdotes tàm Seculares,quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post, immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibìdem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum,

Pro-

Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum Vniuersi Orbis Christiani, in suis quemque Diœcesibus, & Territorijs, per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt supra his, contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, iuxta Sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi, Constitutiones, priuilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspensionis ab executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuùm, absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant. Eos quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ seculari puniendos tradant.

Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tàm enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defe-

ctum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus, etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ seculari, vt præfertur, reum tradendum esse pronunciandi.

Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque: Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos Pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra, solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt supra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque eæ-

dem

dem præſentes literæ, ſiue illarum exempla ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ità arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

S.Card.S.Suſannæ.

DECRETA SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Sanctiss. D. N. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui Authoritate edita de celebratione Missarum.

CVM sæpè contingat, in quibusdam Ecclesijs tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen noua onera Missarum in dies suscipiantur; indeque fiat, vt depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffra- priuentur, Ecclesijs debitus subtrahatur cultu, ac Christi fideles graui scandalo affecti plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesijs, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque vllo emolumento; aut quòd eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, vt non facile inueniantur, qui velint huic se-

mu-

muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur: Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare, Sanctiſs. D.N. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, nè Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis celebrandis, plura ſtipendia, quan-

quantumcunque incongrua, & exigua; siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscunque, tàm secularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio, sub obtestatione Diuini Iudicij, mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactiùs, Sacra Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis Ecclesijs, ac locis pijs tàm secularibus, quàm regularibus cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa

eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuùm imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tàm secularibus, quàm regularibus, atque illorum personis in futurũ simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab [illegible], ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seù illorum pretium quamprimùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra, deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidem fru-

fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione, conuerti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum tàm secularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Seculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratìs concedenda: alioquin Secularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstíneant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, *Eleemosyna pro Missis*, vel

vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur: Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tàm nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in Nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe redditûros.

Poſtremò Illuſtriſſimi Patres, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cuiuſque Monaſterij, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Trid. Concil. Decretis hac de

re editis, Sanctiss. D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, ta communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere, eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali

ciali, coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat; qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra, detractis, sedulò examinent quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta regionis, & proprij instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redditu um, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter ómnibus discussis, cuiusque Familiæ, Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaque Prouincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superiùs, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs, aut remissiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant; mandat Sacra Congregatio, vt infra annum post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter gesta in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli

mittant, numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales, perpetuò seruare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt supra præscriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt; vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis, perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra detrahendis, competenter sustentari valeant,

ad præſcriptum decreti fel.record.Gregorij XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò,ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tàm Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcunque ſint Ordinis,conditionis, & gradus, quàm Laicis quocunque honore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta,Cõſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantiũm, quàm non Mendican-

dicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tàm Secularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi

modi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ authoritate, specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit &c.

Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

DE-

DECLARATIONES ALIQVOT SAC. CONGREG. CONCILII.

Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ Octaui auctoritate editæ super Decretis eiusdem Congregationis de Celebratione Missarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint;

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerenre, vel ab Ordinario.

Tertiò, an, cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxtà qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeù Cappellæ, Legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votiuis, aut Defunctorum recipere, & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quod Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat:

Quæritur, An verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui

Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandum committat:

Quæritur, An permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, An hoc Decretùm habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt, An Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimò, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eandem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Vndecimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omninò abſtineant ab huiuſ-

huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.)

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat absolutè, quò minùs accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit?

Decimo tertiò, An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant, tàm eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptàm, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipitur?

Decimoquartò, An in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis omnium Defunctorum, & vulgò dicuntur *Casse de' Morti*?

Decimoquintò, An Administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimosextò, qui a prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Colle-

gijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tàm Secularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& alijs ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimo, super septimò eiusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari:

Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis Decreti sa.me.Pauli V. absq; tamen computatione redditutum cuiusque Religiosi, sit denuò facienda necne?

Decimo octauò, An Nouitij àd habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus, habita vt supra præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimo nonò, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi, præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant; ita vt alioquin subsint Iurisdictioni Ordinariæ:

Quæ-

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò, An idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate ſibi à Sanctiſs. D. N. attributa, ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominùs pro reductione oneris, vt ſupra, impoſiti, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit; Veruntamen ſi in ipſa benefici erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hæc de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcri-

ſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeù Cappellæ, Legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo ptæſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam vtcunque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſia, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nulla-

nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominùs eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt, expensis, vt supra, deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octauum, nō habere locum, sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest Missam per aliū celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad vndecimum respondit, non prohibere absolutè: Ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere,

re,

re, quo minùs eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem Missis iuxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimum tertium, has poenas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, seruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum octauum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad decimumnonum, censuit comprehendere.

Ad Vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Alia

ALIA DECLARATIO SACRÆ CONGREGATIONIS

Super Eleemosyna Missarum.

CVM Auctores nonnulli scriptis suis typis editis asseruerint, Sacerdoti pro alio Missam, recepta eleemosyna, celebranti licitum esse aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris eiusdem Sacrificij ipsimet celebranti debitam (specialem nuncupatam) applicet, ac proinde hunc casum sub decreto Sacræ Congregationis Concilij, prohibente duplex pro vnica Missa stipendium, seù eleemosynam recipi, non esse comprehensum:

Propterea Sacra Congregatio &c. sub die 25. Ianuarij 1659. censuit, nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, siue prætextu, aliam eleemosynam accipere, præter illam, quam accipit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur; Ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis aliàs per eandem Sac. Congregationem Concilij editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro vnica Missa recipiatur.

DECRETVM DE CONFICIENDA

Tabella onerum perpetuorum Missarum, contentum in Epistola circulari de ordine Sacræ Congregationis locorum Ordinarijs scripta.

REVERENDISSIME DOMINE.

CVM Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reuerendissimorum S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, non infrequentibus Christi fidelium querimonijs edocta, intelligat, quamplura onera Missarum ab illis, siue ab eorum maioribus titulo Beneficij fundata, aut pijs donationibus, seu conuentionibus constituta, aut vltima voluntate relicta, à Rectoribus beneficiorum, vel ab Ecclesiarum, locorumue piorum Administris, vel etiam à priuatis Sacerdotibus negligi, ita vt earundem Missarum celebrationi nullatenùs, aut diminutè, vel serò satisfiat; Eminentissimi Patres animaduertentes ad huiusmodi incuriam, siue potiùs fraudem eliminandam, qua piæ testantium voluntates depereunt, obstricta benefactoribus fides violatur, & diuinus cultus imminuitur, aliàs sub die 21. Iunij 1625. Decreta Generalia de celebratione Missarum iussu san. mem. Vrbani Octaui à se edita, ac typis impressa

pressa fuisse, eorundem obseruantiam, atque custodiam in præsens magis, magisque vrgendam, atque inculcandam censuerunt: Vtpotè quòd in ipsis decretis huic deterrimo abusui eradicando, qui plerumque ex damnabilis lucri cupiditate, aut ex faciliori onerum acceptatione suboritur, prouidè consultum est. Quapropter Sacra Congregatio, quamuis persuadeat sibi Amplitudinem tuam partes suas circa onerum Missarum adimplementum studiosè procurandum diligenter obire, nihilominùs quia tanti momenti res nouum quotidie, atque exuberans studium, & solicitudinem exposcit; Eadem Sacra Congregatio, speciali auctoritate per Sanctiss. D N. sibi attributa, Amplitudini tuæ iniungit, vt ipsorum Decretorum custodiam, atque obseruantiam in sua Diœcesi accuratè, & seriò procuret, atque aduersus eorundem Violatores animaduertat, & quò faciliùs illorum negligentia, aut fraus detegatur, sedulò perspectis Testamentis, conuentionibus, alijsque scripturarum documentis, quibus onera Missarum vnicuique Ecclesiæ, siue loco Pio, aut priuatis Sacerdotibus incumbentia continentur, vocatis etiam omnibus illis, quorum interſit, Tabella conficiatur, in qua prædicta onera dilucidè, & distinctè adnotata sint, & publicè in Sacristia eiusdem Ecclesiæ exponatur; Atque ibidem liber quoti-

diano vſui paratus ſit, in quo ſinguli Sacerdotes, qui in ea Eccleſia Sacrificium obtulerint, Miſſam à ſe tali die celebratam adnotent, & cuius oneris ratione celebrauerint, propriæ manus ſubſcriptione teſtentur.

Quæ omnia ita diligenter ab Amplitudinis tuæ vigili prouidentia perficienda ſperant Eminentiſſimi Patres, vt ipſa, quòd huiuſmodi graue Miniſterium tepidè, ac perfunctoriè peregerit, coram Supremo Iudice Chriſto Domino redargui minimè poſſit; & Amplitudini tuæ copioſa diuinorum Chariſmatum incrementa ex animo precamur. Romæ 15. Decembris 1663.

S.D.N.

SANCTISSIMI D. N. CLEMENTIS

Diuina Prouidentia Papæ X.

Conſtitutio, in qua Regularium priuilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

SVperna magni Patris familias præordinatione creditum Nobis vniuerſalis Eccleſiæ miſticum agrum circumſpecta prouidentia cuſtodire, atque excolere (quantùm ex alto conceditur) ſatagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant diſſidia inter villicos, & operarios componi, iurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus præcludi; vt quibus vna Fides, vna Mater Eccleſia, & vnus Dominus, qui charitas eſt, & pacis cogitans cogitationes; Fiat etiam cor vnum, atque anima vna; ſic etenim euulſis opportunè zizanijs, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus; quo benedicente, meſſis multa fructu centeſimo coeleſte in horreum congregabitur.

Sanè

Sanè cum Sacri Concilij Tridentini decretis prouidè ſtatutum fuerit, vt Regulares cuiuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non poſſint; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant; In Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam, gratìs ab eo dandam, habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint; Atque vt nullus Secularis, ſiue Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat; Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis poſſit Confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium eſſe, aut aliàs idoneus iudicetur; Et approbationem, quæ gratìs detur, obtineat, priuilegijs, & conſuetudine quacunque non obſtantibus: Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem eiuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe; ex quibus

con-

controuersiæ, & dissentiones permultæ in diem subsequi possent occasione priuilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

Nos attendentes, quod alias diuersis temporibus prædictæ dubitationes, & controuersiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum constitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; eiusmodi definitiones in vnum collectas, vt magis, magisque dissentionum tollantur semina, & in posterùm firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur Apostolatus officio, nouis Apostolicis literis muniendas duximus, & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia; hac generali, & perpetuò valitura constitutione decernimus, ac declaramus.

Regulares, qui in Ecclesijs sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse, quamuis illam non obtinuerint: Quod si Episcopus benedictionem nedùm non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem

dem Ecclesijs licere Regularibus prædicare; Eosque contrauenientes ab illo, tanquàm Sedis Apostolicæ delegato, censuris, alijsque poenis ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. record. Gregorij XV. Prædecessoris nostri, incipientis, *Inscrutabili Dei prouidentia*, coerceri, & puniri posse: Episcopum tamen absque iusta, & rationabili causa contradicere non debere, & huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratorijs sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesijs, aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum Iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis, & nullus secularis ibi intersit, habere voluerint; Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus, in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamuis ab Vniuersitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueuerint; quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit: & licentiam prædicandi semel ijsdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere: Non posse tamen Episcopum gene-

generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesijs suorum Ordinum prædicent:

Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Secularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Dioecesi eas absque Episcopi Dioecesani approbatione audire, quanuis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; Atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium vnius Monasterij minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij, itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis huiusmodi illarum Confessiones audire: Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit: Cæterùm in Monasterijs, ac etiam Collegijs, vbi iuxta regularia instituta viuitur, posse tàm Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seù Collegiorum, audire Confessiones illorum secularium, qui inibi

ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantùm ipſis deſeruiunt: Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum, in Dioeceſi propria admittendos: Quo ad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere; ſemel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Dioeceſi Epiſcopi approbantis quouis anni tempore etiam Paſchali, & quorumcunque etiam Infirmorũ confeſſiones audire, abſque vlla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia: De qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo, ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones, præcipi: ſufficere tamen, vt certioratio huiuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum Infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, *Omnis vtriuſque ſexus*, quoad confeſſionem, dumtaxat ſatisfeciſſe cen-

ſendos: Regulares verò ad eiuſmodi confeſſiones audiendas, præuio examine, ſimpliciter, & abſque vlla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo (ſecùs autem ſi ab eius Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis) approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbauit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas reuocari, niſi noua ſuperueniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat: De qua tamen haud neceſſarium eſſe, vt in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare; ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, vbi eam ſibi aperiri poſtulauerit: Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè viuant; vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi iudicio videantur à confeſſionibus ſuſpendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas; vtique eam cauſam ad confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quo minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſſionibus audiendis. Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apo-

ſtolica, nullatenùs poſſe: Ex facultatibus per Mare magnum, aliaue priuilegia Regularibus cuiuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Ieſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſoluendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſeruatis: Et per confirmationes dictorum priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia, priùs ab eodem Concilio, ac deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Et habentes facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſeruatis poſſe abſoluere: Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſeruatis, non autem in illa, vbi idem Confeſſor eſt approbatus, abſoluere, niſi eoſdem pœnitentes nouerit in fraudem reſeruationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe: Vigore ſupradictorum priuilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſoluere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & iudiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, vtique non cenſeri abſolutos in exteriori iudicio, & contentioſo: Quinimò cenſuris

eccle-

ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis, cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties, exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis priuilegijs coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum priuilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum prouocandum, sed cum eius sit interpretari, cuius est condere, dictorum Priuilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ iudicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris nostri fel.recor.Clem.IV. statutum fuit, esse requirendam.

Decernentes sic, & non aliàs per quoscunque Iudices Ordinarios, vel delegatos, quauis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E.Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quosuis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: Irritum quoque, & inane, quid quid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarũcunque personarum, atque quorumuis Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendican-

cantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosclymitani, Congregationum, Societatum, etiam Iesu, ac cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tàm Secularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conseruatorum deputationibus, eorumque, atque alijs inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusuis alijs sub quibuscunque tenoribus, & formis, aut cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extentionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis,

cialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma àd hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, quoad ea, quæ eiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes, quod earundem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeù Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc pagi-

nam

nam noſtrorum decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, vndecimo Kalendas Iulij, Pontificatus Noſtri anno primo.

INSTRVCTIO

Pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimonijs. Ex Decreto Sacræ Congregationis Sancti Officii, sub die 21. *Augusti* 1670.

IN primis, Testis moneatur de grauitate iuramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Diuina simul & humana Maiestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem: & quod imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

An sit Ciuis, vel exterus; & quatenus sit exterus, à quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

An ad examen accesserit spontè, vel requisitus: Si dixerit, accessisse spontè, à nemine requisitum, dimittatur; quia præsumitur mendax. Si verò dixerit, accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus: & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cuius qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Interrogetur, an contrahere volentes ſint Ciues, vel exteri: Si reſponderit eſſe exteros: ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarij ipſorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero ſtatu, de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Ciuitate, vel Diœceſi. Ad probandum verò eorumdem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet vſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur Teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſque eo quod teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò reſponderit, contrahere volentes eſſe Ciues.

Interrogetur, ſub qua Parrochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

Item

Item, an ipse Testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse vxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata; vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum; vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si verò Testis responderit, non habuisse vxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, vt supra;

Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, &c. & quod ipse Testis nesciat.

Si responderit affirmatiuè, supersedeatur, nisi ex alijs Testibus probetur concludenter, non habuisse vxorem, vel maritum, neque vllum aliud impedimentum &c.

Si verò responderit negatiuè,

Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde Iudex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse vxorem, vel maritum, sed esse mortuos;

Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse Testis sciat fuisse coniuges, & nunc esse mortuos. Et si respondeat

mortuos fuiſse in aliquo Hoſpitali, vel vidiſse ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe à Militibus; non detur licentia contrahendi, niſi priùs recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſserunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadauera; vel, ſi fieri poteſt, à Duce illius Cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen huiuſmodi teſtimonia haberi non poſſunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de iure communi poſsunt admitti, dummodò ſint legitimæ & ſufficientes.

Interrogetur, an poſt mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negatiuè;

Interrogetur, an eſse poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo quod ipſe Teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negatiua coarctetur concludenter.

Si verò negatiuè,

Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Iudex poterit iudicare, an ſit concedenda licentia, vel nè.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur

ad

ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in alijs ſeruata forma Concilij Tridentini in cap.Multi, ſeſs.24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarij, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attentè conſideretur, quod fides, ſeù teſtimonia, benè & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro Teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quàm extranei; quia præſumuntur melius informati,& Ciues magis,quàm exteri: nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio: & Notarius exactè deſcribat perſonam Teſtis, quem ſi cognoſcit, vtatur clauſula, *mihi bene cognitus*, ſin minùs, examen non recipiat, niſi vnacum perſona Teſtis aliqua alia compareat, cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius Teſtis, necnon de idoneitate eiuſdem ad teſtimonium ferendum. Et huiuſmodi examinibus debent intereſſe in Vrbe, vltra Notarium, Officiales ſpecialiter deputandi ab Eminentiſſimo Vicario: & extra Vrbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea, ab Epiſcopo ſpecialiter deputan-

putanda ; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, vt pro Matrimonijs cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſijs, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario, priùs teneantur authenticã reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium &c.

Contrauenientes autem ſeuerè punientur.

Feria

Feria v. die 2. Martij 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio *Apostolico Vaticano coram Sanctiss. D.N.D. Innocentio Diuina prouidentia* Papa *XI. ac Eminentiss. & Reuerendiss. Dominis* S.R.E. *Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta* Sede *Apostolica specialiter deputatis.*

SAnctiss. D.N. Innocentius Papa XI. prædictus ouium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diuersis vel libris, vel thesibus, seù scriptis excerptas, & partim nouiter adinuentas Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus subiecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis; Idem Sanctiss. D.N. re postea maturè considerata, statuit, & de-

& decreuit pro nunc ſequentes propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimùm tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, vllatenùs approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca quantumuis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quin-

quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.

8. Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Secularibus inuenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, sed

vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, vt peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, vt assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili reuelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similiuè motiuo ad iustificationem sufficit,

24. Vocare Deum in Testem mendacij leuis non est tanta irreuerentia, propter quam velit, aut

aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, siue res sit leuis, siue grauis.

26. Si quis, vel solus, vel coram alijs, siue interrogatus, siue propria sponte, siue recreationis causa, siue quocunque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Vrgens metus grauis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapàm, vel fuste percu-

tiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conseruatione vnius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tàm hæredi, quàm legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

34. Licet procùrare abortum ante animationem foetus, ne Puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in vtero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiùnt.

Non

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantuncunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem Personæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42. Vsura non est dum vltra sortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est

ſimonia, quando temporale non datur tanquàm pretium, ſed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, ad Eccleſias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò quando fit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities iure natura prohibita non eſt. Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum coniugata, conſentiente marito,

rito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro qui duas eius partes, immò quatuor ſimul à diuerſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò, honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

Licet

59. Licet ſacramentaliter abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolui qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo quantumuis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiam ſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

Qui-

Quicumque autem cuiusuis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diuiſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij, prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem, vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alij quicumque impoſterum ſe abſtineant, & vt paci, & chariati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tam in Libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus, caueant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conuicijs contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè contro-

trouertuntur, donec à Sancta Sede recognita ſuper ijſdem propoſitionibus iudicium profe-ratur.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda, die verò 4. Menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentij diuina Prouidentia Papæ Vndecimo, Anno Tertio.

FINIS.

ERRATA, si quæ irrepserint, beneuoli Lectoris humanitati corrigenda remittuntur.

Vbique tamen, loco-Meleuitana-*Corrige*-Meliuetana
Et pag. 83. lin. 12. loco - Ordinem suscepto - *Corrige* Ordine suscepto.
Post pag. 176. nihil deest, etsi errore impressionis sequitur numerus 185.


ISTITUTO DI PATOLOGIA DEL LIBRO
RESTAURO
ROMA

